This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`









VERSVS LVDICRI
IN
ROMANORVM
CAESARES PRIORES
OLIM COMPOSITI.

COLLECTOS, RECOGNITOS, ILLVSTRATOS
AVCTORITATE
SOCIETATIS DVCALIS LATINAE IENENSIS
EDIDIT
EIVS SODALIS HONORARIVS
GEORGIVS HENRICVS BERNSTEIN
PHILOSOPHIAE DOCTOR IN ACADEMIA
IENENSI.

PRAEFATVS EST
HENR. CAROLVS ABR. EICHSTAEDT
SER. DVC. SAXON. A CONSIL. AVLAE INTIMIS
ELOQV. ET POES. IN ACADEMIA IENENSI PROFESSOR
SOCIETATIS LATINAE DIRECTOR.

HALIS SAXONVM
APVD IO. CHRIST. HENDEL
M D C C C X.

L 99

HENR. CAROLVS ABR. EICHSTAEDT

LITERARVM STVDIOSIS

S. D.

Non eget profecto aliena commendatione Bernſteinius, ſuis ſat commendatus ſcriptionibus, quas duas nuper, egregii ſtudii variaeque et minime vulgaris doctrinae teſtes, in lucem emiſit. Sed quum tanta eſſet humaniſſimi viri modeſtia, ut huic tertio eruditionis ſpecimini meam praefantis operam iteratis precibus expeteret: equidem nolui recuſare, quod ille ſuo quodam jure a me poſtulaſſe videretur. Quamquam enim et illum vana neſcio cujus commendationis, meo ex nomine venturae, ſpes fallebat, et me per has diu exoptatas academicas ferias aliae curae ſatis occupatum tenebant: tamen, ut honeſtae ejus voluntati obſecundarem, plures me cauſae impulerunt. Nam et praeclarum auctoris ingenium, Graecis, Latinisque literis excultum, Orientisque linguarum ſtudio imbutum, per quatuor annos ita per-

ſpexi,

ſpexi, ut has ejus dotes publice teſtari poſſim, et propter animi quoque virtutes ita ille mihi carus eſt in paucis, ut hoc ei teſtimonio prodeſſe velim, et libellus, cui haec deſtinata praefatio eſt, auctoritate emittitur Societatis, cujus votis atque commodis inſervire omni modo debeam. Exigit nimirum hoc antiqua Societatis Latinae lex, re et facto nuper renovata, ut ſubinde in publicum edantur ſodalium ſpecimina, quae Societatis et ſtudia progreſſusque oſtendant, et veterem laudem tueantur. A quo inſtituto quod Societas diſceſſit proxime ſuperioribus annis, ea non noſtra fuit culpa, ſed temporum, quae literis et literarum inſtrumentis adeo gravia infeſtaque acciderant, ut, ſi eas privatim in ſchola colere poſſemus, ſatis nobis beati videremur. Vix enim ac ne vix quidem inveniebantur Socii, qui non modo ſine praemio auctoris, ſed ne ipſis quidem propoſito praemio, ſcripta ad humanitatis artes ſpectantia curarent, atque ex ſcholarum umbraculo foras producerent. Cogor ego id palam profiteri, ut compescam voces malevolorum, ſi qui forte ſint, qui aut hujus contubernii ſodales tarditatis atque inertiae accuſent, aut moderatori in conſilio ſemel ſuſcepto declaratoque inconſtantiam et levitatem ob-

obiiciant. Neutrum in nos crimen cadit. Ex quo enim Ludov. Purgoldus, Viburgenſis ſcholae in Finnonia nunc Profeſſor, poſtremus ex ordinariis ſodalibus criticarum obſervationum luculentum ſpecimen edidit, cui mox nova Societatis Acta ſucceſſere, plus quam octoginta juvenes, literarum amore inflammati, huic conſortio deinceps nomina dederunt, quae in altero Actorum volumine proferentur, omninoque antiquitatis ſtudium acrius in hac Academia commotum eſt. Nam et plures ejus cives his unis humanitatis artibus operam ſuam addixerunt, et caeteri multo, quam antea, lubentius frequentiusque literarum ſcholas adierunt, etiam eas, quae praeter morem academicum totae eſſent Latinae. Quem morem ſi quis hodie, in tanta Latinae linguae oblivione et ignoratione, inſtaurare conatur, ei profecto non verendum eſt, ne umbratici doctoris notam ſubeat, hocque nomine rideatur a prudentioribus. Ac fuit haec olim in florentiſſimis Academiis conſuetudo, vel uſu recepta, vel ipſis legibus ſancita, quae tum in Batavia tum in duabus Regis Saxonici Academiis adhuc magno cum fructu ſervatur, ut, qui literas in Academiis docerent, praeſertim eas, quae ab humanitate appellantur, in

hac

hac inſtitutione non uterentur niſi Latino ſermone, neque academicis ſubſelliis idoneus judicaretur adoleſcens, niſi qui doctorem, Latine enarrantem, auribus, mente, etiam, ſi opus videretur, calamo facile ſequi poſſet. At ille mos in plerisque Academiis dudum exolevit, ſive vitio ineptorum magiſtellorum, qui bona re abuſi, pedantismum quemdam, a Chr. Thomaſio ejusque ſimillimis viris profligatum, in academicas ſcholas reduxerant, ſive turpi ſocordia et ignavia ſaeculi. Recens adhuc eſt memoria temporis, quo in noſtra quoque Academia, quamquam ei praeſtantiſſimus Schützius lumen ingenii et conſilii ſui porrigebat, adoleſcentes, novae cujusdam ſapientiae novo quodam igne incenſi, ita frigebant ad linguarum ſtudia, ut parum valeret rectiora ſuadentis auctoritas, et ut pauci Latinam linguam curarent, quam qui in rebus deperditis nec opera et oleo dignis numerarent, etiam proh dolor inter doctores reperiebantur. Quam linguae vel contemptionem vel inſcitiam graviter me ſentire memini ante hoc ferme ſeptennium, quum Perſii ſatiras Latino ſermone interpretarer: ad quas ſcholas quum primum magna confluxiſſet eorum, qui audirent, multitudo, novitatis ſtudio, ut fit, impulſa

pulsa, mox difficultas, Latinam enarrationem intelligendi, eas sic vidnavit atque vacuefecit, pauci ut supereſſent, sed ii, qui numerum ingenio et ardore compensarent. Veruntamen Latinae linguae cognoscendae necessitatem quum nemo in dubitationem adducit, tum periti omnes in eo consentiunt, ejus cognitionem non tantum legendis scriptoribus scribendoque Latine comparari, sed etiam audiendis iis, qui loqui Latine sciant, mirifice augeri confirmarique. Quo crebrius enim aures ad Latinam orationem patent, eo magis exoritur aliqua consuetudo atque exercitatio, quae et intelligendi facilitatem adjuvat, et eloquendi celeritatem incitat. Quapropter si Societas Latina Jenensis id unum teneret consilium, quo olim constituta est, ut Latinae linguae, cui fugam minitatur saeculum, usum atque consuetudinem tueretur: illam vel hac una de causa fovendam omnibus modis, et in laudabili propositio retinendam putaremus. Nunc quum ejus exercitationes omnino ad recolendas antiquitatis artes pertineant, sitque, ut dixi, earum non exigua vis ad animos caeterorum civium his artibus reconciliandos: praecipua quadam cohortatione et laude mihi digni videntur, qui hoc literarum stadium cur-

currunt, in eoque contendere audent. In quorum numero censendum esse doctissimum hujus libelli auctorem, res ipsa declarat. Is quum aliquamdiu Suetonium privatim tractasset, ut erueret ex eo et in Societate Latina explicaret, quae ad moris antiquitatisque Romanae pervestigationem valerent, et quum in hoc negotio dignos diligentiore cura habuisset versus illos ludicros, qui in Caesares olim compositi circumferuntur: auctor ei fui, ut hoc argumentum accuratius persequeretur, lectionesque Societati propositas, correctione quadam adhibita, in publicum emitteret. Neque admodum vereor, ne sint, qui argumenti jejunitatem accusent. Etenim magna ejus propinquitas et cognatio est cum antiquitate et historia Romana, in cujus amplissima spatia mature deduci juvenes, qui vires ingenii periclitari velint, equidem satius duco, quam indulgeri illorum levi saepenumero ac ludicro studio, qui in tractandis veterum scriptis nonnisi conjecturas, eisque in publicum protrudendis aliquam famam venantur. Sed de libelli dotibus meum non est judicare hoc loco: judicabunt alii, quorum auctoritas, si cum aequitate conjuncta fuerit, facile efficiet, ut ad perlegendum hunc cultum Bernhelmius excite-

tetur. Alia libello addi, alia melius conſtitui, alia ſubtilius explicari poſſe, non ignorat humaniſſimus auctor, qui etiam me rogavit, ut, ſi quid praeter notata et correcta in ſcholis haberem, quod ad argumenti perfectionem abſolutionemque valeret, per hanc praefandi opportunitatem expromerem. Neque alienus ab ea re erat animus; ſed laborem aggreſſus, hac maxime difficultate circumvenior, quod in Halenſi officina haerent plagulae libelli, ante plures jam menſes e manibus dimiſſi, et quod ipſe Bernſteinii, qui Orientalium linguarum ſtudium nunc Lipſiae Roſenmüllero V. C. duce celebrat, conſuetudine privatus ſum. Itaque dum ſcribendo mihi repetenda ſunt memoria non ſatis explicata illorum, quae vel olim praelecta in ſcholis audivi, vel poſthac ſpecimínibus typographicis per negotiorum intervalla perluſtrandis perlegi: tam ſubitariae nec ſatis inſtructae operae vel confeſſione vel excuſatione deprecandam mihi ſentio veniam errorum, ſi quos forte, qui noſtra cum Bernſteinianis curatius comparabunt, in hac extrema praefatione deprehenderint. Quos errores ne temere augeam, lubet in una libri parte ſubſiſtere, quae eſt de militum Romanorum in duces triumphantes jocos verſusque ſatiricos jacieudi

ciendi licentia. Quam quidem disputationem quum auctor jam antea speciminis academici loco publicarit, nunc locupletiorem in hoc libello repetiverit, in ea fortasse minus est errandi periculum. Huic igitur disputationi, tribus animadversionibus vel augendae vel corrigendae, hoc praefationis corollarium inserviat.

Primum quod ad fontes attinet, unde auctor hoc argumentum minime tritum duxit, recte ille quidem Dionysii Halicarnassei, Livii aliorumque scriptorum Latinorum auctoritate usus est: sed, nollem Appiani quemdam locum omisisset, hac in re palmarium. Satis enim constat, Graecos, ubi antiquitatem Romanam persequantur, diligentiores, certe copiosiores, esse Romanis, qui ejusmodi res, popularibus notas, fere leviter tangunt, brevique illarum non tam expositione, quam significatione, scriptoris officio se satisfeciisse arbitrantur. Dilucide igitur Appianus Punicorum libro VIII, cap. 66. (Vol. I. p. 389. ed. Schweigh.), ubi triumphi Romani amplitudinem describit, de imperatorum choragio inter alia etiam haec narrat: Καὶ παρέπονται ὅσοι παρὰ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτῷ γραμματεῖς τε καὶ ὑπηρέται καὶ ὑπασπισταί. Καὶ μετ' ἐκείνους ἡ στρατιὰ κατά τε ἴλας καὶ τάξεις, ἑστε-

ἐστεφανωμένη πᾶσα καὶ ἐμφορουμένη· οἱ δὲ ἀριστεῖς καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐπίκεινται. Καὶ τῶν ἀρχόντων οὓς μὲν ἐπαινοῦσιν, οὓς δὲ σκώπτουσιν, οὓς δὲ ψέγουσιν. Ἀφελὴς γὰρ ὁ θρίαμβος· καὶ ἐν ἐξουσίᾳ λέγειν ὅ τι θέλουσιν. Praeter hunc Appiani locum deſideravi quemdam Livianum XXVIII, 9, ſpectantem ad illud belli Punici ſecundi tempus (a. u. c. 545), quo Claudius Nero et M. Livius conſules, ſuperato Asdrubale, triumphantes Romam ſunt ingreſſi. Quo die, ut Livius tradit, notatum, plura carmina militaribus jocis in C. Claudium, quam in conſulem, eſſe jactata. Et tamen Claudius, qui in collegae provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, plus gloriae et reverentiae habuit, quoniam plus in bello, quam collega, fecerat. Caeteros Livii locos attulit Bernſteinius, ſed ita, ut temporum accuratam notationem poſthaberet. Quae quidem notatio tanto majorem curam requirebat, quanto magis inde et totius diſputationis ordo erat conſerendus, et licentiae illius cauſae explicandae. Atque hoc alterum eſt, quod paucis tangere volebam. Neque enim tanta militum libertas unde venerit, et quare tolerata ſit, ſatis intelligi poteſt, niſi diverſa Romanorum tempora probe internoſcamus,

in

in eaque nos animo et cogitatione transferamus. Repetiri talis licentiae exempla jam republica Romanorum libera, qui mores istius aetatis norit, et adeo non mirum videbitur, ut paene mirandum sit, imperante populo non plura esse et luculentiora ejus rei exempla memorata. Crevit dejnde illa protervitas militaris post bellum Punicum secundum, quum aucto luxu, moribus in pejus labentibus, hominum de plebe et animi magis infolescebant, et dicacitas facetiaeque acuebantur. In quibus facetiis judicandis illud omnino cavendum est, ne plebem Romanam, qualis tum erat, aut etiam gregarios milites, apponamus iis, quos eidem classi adscriptos nostra Germania fert: quippe illi longe politiores erant ingenio, lingua, moribus, majore forsitan jure aequiparandi iis, quorum sat largam copiam nobis Gallia nuper immisit. Talium militum sales ac facetias aequo saepe animo ab iis ferri, qui munere ac dignitate illos longe superant, ipsi nostris oculis nuper vidimus. Postremo apud Romanos ista licentia paene modum excessit sub imperio Caesarum: quod quum maxime militum et arbitrio susciperetur, et viribus niteretur, huic unico potentiae fulcro ac praesidio nihil non tribuendum

condo-

condonandumque videbatur. Graviter jam Cicero conqueritur de veteranis, quorum arbitratu ſententiae dicerentur in judiciis, et quorum tantum eſſet faſtidium, tanta arrogantia, ut ad nutum illorum et voluntatem imperatores etiam deligerentur. His veteranis ſuis quid non indulſit Octavianus? Quid poſtea non concedendum erat iis militibus, quibus patriae ſolum non erat Italia, qui non tantum peregrini et hoſpites, ſed ſaepe capitis damnati, exules, fugitivi convenerant, qui proceres ad mortem depoſcere, bona locupletum diripere ſtipendii augendi cauſa, duces rejicere alios, alios arceſſere ſolebant? In hac militum impunitate, hac militaris diſciplinae contemptione, quum ducum auctoritas tantopere cecidiſſet, quis miretur, eos contumeliis interdum injuriisque fuiſſe a militibus affectos? Sed nota haec ſunt ex hiſtoria, nec afferuntur a me, niſi ut ad tripartitae diſputationis, quae rem conficiat, rectum iter digitum intendam. Quas enim licentiae illius cauſas Nadalius in malitia et procacitate, hominum animis inſita, quaeſivit, Bernſteinius ex veterum vel conventibus poſt fruges conditas, vel conviviorum atque nuptiarum ratione repetiit: eas cauſas parum idoneas eſſe ad rem explicandam cen-

Prolegomena.

Plura antiquiſſimis temporibus fuerunt tum apud Graecos, tum apud Latinos, dicteriorum verſuumque iocularium et ſatyricorum genera, quae, rudia et incondita, dramaticae poëſeos rudimenta fuiſſe, eique, arte adjutrice, originem dediſſe videntur. Ac prima quidem eorum veſtigia reperiuntur in vetuſtiſſimis conviviis et conventibus, quos, conditis in horreum frugibus, Graeci et Romani olim agere ſolebant a), vel ut

per

a) Strabo L. X. p. 322. edit. Caſaub.: Κοινὸν δὴ τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν Βαρβάρων ἐστί, τὸ τὰς ἑορτοποιίας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, τὰς μὲν σὺν ἐνθουσιασμῷ, τὰς δὲ χωρὶς· καὶ τὰς μὲν μετὰ μουσικῆς, τὰς δὲ μή· καὶ τὰς μὲν μυστικῶς, τὰς δὲ ἐν φανερῷ· καὶ τοῦθ' ἡ Φύσις αὐτὸς ὑπαγορεύει. Cfr. Athenaei *Deipnoſophiſtarum* L. IX. p. 363. et Voss. *Inſtitut. poët.* L. I, c. 2.

per ſacrificia diis gratias agerent, vel ut curis ſoluti, genio indulgentes, ac vino pleni, animum laboribus, quos ſuſtinuerant, relaxarent. Ibi, ut riſus moveretur, in quo rudis barbarique populi ſummum eſt oblectamentum, ruſtica erat conſuetudo, dicteria jaciendi, ſingulorum vitia et inhoneſta facta objurgandi, ſeque invicem ſcommatibus et verſibus inconditis laceſſendi atque ſubſannandi b). Quae petulantia, quum ita ornare ſolemnia atque exhilarare convivia putaretur, ut Prometheus apud Lucianum c), dum Mercurium alloquitur, ingenue fateatur: „Ἦν ἀφέλῃ τις τῶν συμποσίων τὰς κωμῳδίας ταύτας, ἀπάτην καὶ σκώμματα, καὶ τὸ βιλλαίνειν, καὶ ἐπιγελᾶν, τὰ κατακλινόμενόν ἐστι μέθη, καὶ κῶμος, καὶ σωπὴ, σκυθρωπὰ καὶ ἀτερπῆ πράγματα, καὶ ἥκιστα συμποσίῳ πρέποντα,“ addiris mox jocoſis et obſcoenis motibus ac ſaltationibus, diu remanſit, et in Graecorum atque Romanorum ſolemnibus, pompis ac ludis eximios ſpectatorum plauſus tulit.

Apud

b) V. Isaac. Casaub. de Satyrica Graecorum poëſi et Romanorum Satira. L. I. c. 1. p. 4. ſqq. edit. Ramb. Hal. 1774.

c) Tom. I. p. 109.

Apud Graecos quidem ille mos praecipu *festis diebus*, *Bacchi honori celebratis*, usitatus erat quo tempore multi prodierunt, qui *αὐτοσχεδιάσμασι*, quae Aristoteles *Poet.* c. 4. appellat, e *ἀπὸ φυσικῆς ἀρχῆς* progenita scribit, lusibus, jocis habitu et motu corporis, ad risum composito populum oblectarent d). Ex quibus poëseos primordiis, arte paulatim emendatis, *Tragoedia* et *Comoedia* progenita fertur e).

2 Ejus-

d) V. Athenaei *Deipnos.* L. V. et XIV. p. 622. edit. Casaub. Phurnutus Περὶ τῆς τῶν θεῶν Φύσεως Cap. de Baccho. Et Cfr. Casaub. *Lib. laudat.* L. I, c. 1. p. 15. c. 2. c. 5. p. 122. sqq. Voss. *Institut. poët.* L. III, c. 17. p. 92. sqq.

e) Maxim. Tyrius *Serm.* XXII. Ἀθηναίοις ἡ μὲν παλαιὰ μοῦσα χοροὶ παίδων οὖσα καὶ ἀνδρῶν, γῆς ἐργάται κατὰ δήμους συνιστάμενοι ἔρτι ἀμητοῦ καὶ ἀρότου κεκοινωνεῖν, ᾄσματα ᾄδοντες αὐτοσχέδια· μετέπεσε δὲ ἡ ψυχὴ ἐπὶ τέχνην ἀκορέστου χάριτος ἐν σκηνῇ καὶ θεάτροις. Et Aristot. *Poët.* c. 4. Γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικὴ καὶ αὕτη (ἡ τραγῳδία), καὶ ἡ κωμῳδία, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ Φαλλικά, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη, προαγόντων ὅσον ἐγένετο Φανερὸν αὐτῆς. Cfr. Casaub. Lib. l. I, c. 1. Voss. *de Artis Poëticae natura et constit.* c. 11. Eiusque *Institutiones* poët. L. II.

Ejusdemque consuetudinis in Romanorum festivitatibus *versus Saturnii et Fescennini* testes veterrimi sunt: e quo inculto ac petulanti genere omnis Romana poësis, imprimis satyrica, exorta est f). *Saturnii*, rhythmi legibus soluti g), nomen suum indè fortasse duxerunt, quod talium solemnitatum tempore, ubi, remotis curis, hilaritatem omnia et laetitiam prodebant, felix et aureum Saturni seculum rediisse videbatur. Et *Fescennini*, a Fescennia, vetere Hetruriae oppido, ita

f) V Casaub. Lib. cit. II, c. 1. p. 179. sqq. Dacierii differt *Sur la Satire*, quae est in *Histoire de l'Académie des inscriptions et belles lettres* Tom. II. Ezech. Spanheimii differt. *De Iuliani Caesaribus*, quae exstat in libro: *Les Césars de l'Empereur Julien, traduits du Grec par feu Mr. le Baron de Spanheim, avec des remarques et des preuves etc.* Amstelod. 1728. 4. In qua dissertatione inter alia p. 10. haec leguntur: „Il est vrai sans doute, que les Satyres, à rémonter à leur premiére origine, n'avoient pour but que le plaisir et la joye. C'étoient des farces de village; un amusement, ou un spectacle de gens assemblés, pour se délasser de leur travail, et pour se réjouir de leur récolte, ou de leurs vendanges. Des jeux champêtres, des railleries grossiéres, des postures grotesques, des vers faits sur le champ, et recités en dansant, produisirent cette sorte de poésie etc.“

g) V. Terentian. Maur. *de Metris* L. I.

ita dicti, frequenterque ad modos quosdam musicos recitati, praesertim in nuptiis celebrandis fuisse inveniantur: haud dubie quoniam festis de messe factis diebus nuptiarum solemnia a caesis Romanis habebantur. Plena erant obscenitate, ac rusticis saepe et scurrilibus dictis compositi h). Quum vero haec carminum Fescenninorum licentia ita augeretur, ut non solum humiliores sponsi, verum etiam honestissimi quique atque illustrissimi, his lacesserentur: lege quadam is capitale fecisse iudicabatur, qui tale carmen aut composuisset, aut decantasset i). Quae poena deinde eo mitigata esse videtur, ut pro capitis poena fustis decerneretur. Nihilominus tamen jocularis ac lubidinosa ista in diebus nuptialibus consuetudo diu

h) De quibus CATULL. epigr. LX.

„Nec diu taceat procax
Fescennina loquentio."

Cfr. CLAUDIANI Oper. Tom. I. p. 156. edit. Gesner., ubi plura *carmina Fescennina* leguntur.

i) Lex ipsa XII. Tab. haec erat, teste AUGUSTINO *de Civ. Dei* L. II, c. 9.: *Si quis excantasset* (occentasset), *sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri procuraret, capite poenas dato.* Vid. GOTHOFREDI *Corp. Iur.* in XII. Tab. fragmenta, Tit. 25. de Injuriis.

diu vulgaris fuit, nec viri quidem magis exculti eam prorsus spreverunt k). Quid? quod ipse Octavianus Caesar quoddam carmen Fescenninum mordax et obscoenum in Pollionem scripsit; quod quam iuste dignum esset, hic, teste Macrobio, Sa-

k) Iuvat hanc rem illustrare ipsis *Horatii* verbis Epistol. II, 1. v. 139. sqq.

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum pueris, et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentis accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi; quin etiam lex
Poenaque lata, male quae nollet carmine quemquam
Describi. Vertêre modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris.

Saturn. L. II. c. 4., dixiſſe fertur: *At ego taceo, non eſt enim in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere* 1). Ad quod poëſeos genus proxime accedere videntur verſus ludicri, jacti in Romanorum Caeſares; quorum verſuum eam partem, quae ad priores Caeſares pertinet, collectam ex ſcriptoribus, illuſtratamque hic libellus complectitur.

Libelli ſcribendi et in publicum emittendi occaſionem dederunt Societatis Latinae juventutis exercitationes, quibus per quadriennium intereſſe nobis contigit. Quae quidem felicitas tanto erat major, tamque largior ejus utilitas, quanto praeclarius et diligentius antiquitatis artes in ea Societate a Directore praeſtantiſſimo, Ernſtadio, viro ſumme venerando ac perillustri, tractabantur, et exercitationes in ſcribendo Latine interpretandisque veterum ſcriptorum monumentis regebantur. Cujus viri egre-

gius

1) V. Casaub. Lib. land. I, c. 1. p. 13. II, c. 1. p. 177. ſqq Wielandii Annotat. ad *verſ. Horatii German. Epiſtol.* II. 1. v. 145. et Sulzeri Allgemeine Theorie der ſchönen Künſte, Tom. IV. p. 117. et 130. edit. Lipſ. 1787.

glis lectionibus et privatis, et privatiſſimis, ſi quid profecimus in literis, quod exiguum eſſe haud ignoramus, id omne debemus. Eum ducem ac praeceptorem ſequuti, quum in exercitationibus Societatis Latinae praeter alios ſcriptores etiam Suetonium tractaremus, eique explicando operam noſtram qualemcunque adhiberemus, accidit, ut *verſus ludicros*, *in Caeſares fuſos*, qui nondum eſſent ſingulares docti cujusdam viri curam experti, ex illo excerperemus, excerptos illuſtraremus, et illuſtratos Directoris et Sodalium cenſurae traderemus. Inde hic paulatim libellus enatus eſt, quem eo potiſſimum conſilio emiſimus, ut et noſtrorum profectuum aliquod ſpecimen ederemus publice, et Societatis legi, inde a multis annis ſervatae, ſatisfacere conaremur. Quae lex poſtulat, ut diſſertationes, in Societate illa privatim ſcriptae ac defenſae, ſubinde ad publicam notitiam celebrentur, et priſtina Societatis laus etiam hoc in genere integra ſervetur. Quam laudem ſi tueri minus nobis licuerit, conſolabitur nos humanitas lectorum, qui, ſcribentis aetati aliquid et conſilio remittentes, voluntatem et conatum magis, quam ſcriptionis indolem et pretium aeſtimabunt.

Sed,

Sed, ut ad id revertamur, unde supra digressi sumus, versuum jocularium, in Romanorum Caesares fusorum, tria potissimum genera fuerunt. Alii enim a militibus in Caesares per triumphos dicti sunt ex licentia antiquissima, qua pompis istis solemnibus duces et alios quoscunque, etiam illustrissimos, viros dicteriis, jocis, versibusque satyricis perstrinxerunt m). Quae licentia tanto fuit turpior, quanto acerbius saepe in imperatores grassata esse reperitur. Nam mordacissimum quodcunque impune tum in eos jaciebatur, lubidines carpebantur, vitia taxabantur, vel adeo mendaciis augebantur, nec duces summa auctoritas a tali licentia tutos praestabat. Quod ita testatur Dionysius Halicarnass. n): „Δηλοῦσι δ' αἱ τῶν θριάμβων εἴσοδοι παλαιὰν καὶ ὑπηρεσ-

ριοι

m) In cujus licentiae originem et usum in triumphis nuper inquisivimus in dissertatione: *De antiquissima Romanorum militum in duces triumphantes jocos versusque satyricos jaciendi licentia.* Jenae typis Etzdorfii CIↃIↃCCCX. Quacum conferatur NADALII dissertat. *De la liberté, qu'avoient les soldats Romains de railler et de dire des vers satyriques contre ceux, qui triomphoient.* Paris. 1712. Recensetur in *Histoire de l'Académie royale des inscriptions et belles lettres*, Tom. III. p. 96. Paris. 1773.

n) L. VII, c. 72. p. 1491. 92 edit. Reisk.

ριον ὄυσαν Ῥωμαίοις τὴν κόρτομον καὶ σατυρικὴν παιδιάν. ἐρεῖται γὰρ τοῖς κατάγουσι τὰς νίκας, ἰαμβίζειν τε καὶ κατασκώπτειν τοὺς ἐπιφανεστάτους ἄνδρας αὐτοῖς στρατηλάταις, ὡς Ἀθήνησι τοῖς πομπευταῖς τοῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν πρότερον ἅμα [τοῖς] σκώμμασι παροχουμένοις· νῦν δὲ παίγματα ᾄδουσιν αὐτοσχέδια." Sed illa militaris petulantia quo tempore imprimis in consuetudinem abierit, nemo veterum diserte dixit, neque fortasse dicere potuit, quum ea paulatim ab istis ludibriis, quae in conviviis et solemnibus erant, in triumphos transiisse videatur o). Vetustissimum quidem fuisse morem, et vel sub extremis regibus, vel primo reipublicae tempore usitatum, ex scriptorum testimoniis satis liquet. Nam A. V. C. 296., quo *L. Quinctius* triumphabat, et A. V. 365. in *Camilli* triumpho jam solemnes erant tales joci versusque inconditi, testante Livio L. III, c. 29 *Epulantesque cum carmine triumphali et* solemnibus jocis, *comissantium modo, sequuti sunt* Et L. V, 49. *Dictator* (Camillus), *recepta ex hostibus patria, triumphans in urbem redit*, interque jocos militares, quos

o) V. Dissertat. nostr. supr. l. p. 5. sqq.

quos incondidos jaciant (milites), *Romulus ac parens patriae conditorque, alter urbis haud paria laudibus appellatus.* Atque ex ipsa ratione, qua scriptor de versibus, *quos incondidos jaciant* precaces milites, loquitur, apparet, eos jam tum omnibus notos, et in quovis fere triumpho usitatissimos fuisse. Quod etiam Suetonii verba in Jul. Caes. vit. c. 49. de seriore tempore firmant: *Gallico triumpho* (A. V. 707.) *milites ejus* (Caesaris) *inter cetera carmina*, qualia currum prosequentes joculariter canunt, *etiam vulgatissimum illud pronuntiarunt.* Eaque carmina *alternis*, sicuti Fescennina (vid. Horat. Epistol II, 1. v. 146.), esse dicta, tum Livius, tum Plinius referunt: quorum ille L. IV, c. 53. *C. Valerius Potitus*, inquit, ——— *quum ex senatus consulto urbem ovans introiret*, alternis *inconditi versus militari licentia jactati.* Hic Hist. Nat. L. XIX, c. 8.: *Nec non olus quoque sylvestre est triumphalibus Divi Julii carminibus praecipue jocisque militaribus celebratum.* Alternis *quippe versibus exprobravere lampsana se vixisse apud Dyrrachium, praemiorum parsimoniam cavillantes.*

Nec

Nec minus incertum eſt tempus, quo lubidinoſa haec in triumphis conſuetudo evanuerit, quamquam ea ſatis diu viguiſſe videtur, quippe quae adhuc ſub Domitiani Caeſaris imperio floruerit. Id perſpicue colligitur ex Martialis p) verſibus, quibus Domitianum ad legenda ſua carmina invitat:

Contigeris noſtros, Caeſar, ſi forte libellos,
Terrarum dominum pone ſupercilium.
Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi;
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Ex iſto autem verſuum numero, qui haud infrequenter in Caeſares per triumphos tum temporis a militibus decantati ſunt, perpaucos ſcriptores ſervarunt. Occurrunt duo apud Suetonium q), quos, in Jul. Caeſarem dictos, in libello noſtro num. III. et IV. poſuimus, et praeterea unus apud Vellejum Paterculum r), in Lepidum et Plancum Conſules:

De

p) L. I, epigr. 5.
q) Jul. Caeſ. c. 49. et 51.
r) L. II, c. 76.

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Conſules.

Qui verſus ad deteſtabilem iſtam ac maxime nefandam proſcriptionem ſpectat, qua Antonius, Lepidus et Auguſtus triumviri A. V. C. 711. in rempublicam ſaevierunt (cfr. XIII.): quo tempore tot viri clariſſimi divitiſſimique trucidati, eorumque bona uxoribus ac liberis erepta ſunt (v. Dio Caſſ. L. XLVII, c. 3-17.). Tunc enim *Lepidus* Paulum fratrem proſcripſit; nec *Planco* defuit gratia, ut frater ejus Plancus Plotius proſcriberetur (v. Vellej. Patercul. l. l. et Appian. B. C. IV. p. 961.). Quod ſceleſtum facinus milites, triumphalem horum Conſulum currum ſequuti, ita facete perſtrinxerunt, ut Germanorum nomine, ambigue poſito, non ipſam gentem, ſed fratres illos intelligerent. Nam quum L. Paulus *Lepidi* triumviri, tum Plotius Plancus *Planci* Conſulis frater germanus, non adoptivus, erat. (v. Perizon Animadverſ. Hiſt. c. 3. p. 124. Weſſeling. Obſervat. II, 21. p. 235.)

Alii, iique plurimi, in Caeſares verſus ludicri ac virulenti vel ſermonibus hominum celebrati,

mox

mox calamo excepti (ut I, VI, XIV, XVI, al.), vel publicis locis scripti et affixi sunt (sicut VII, XIII, rel.): quibus aut vitia et lubidines eorum aperte castigarunt, aut id, quod palam ipsis Caesaribus impune dici non licebat, tecte indicaverunt. Alii denique a quibusdam liberius dicentibus scripti et in vulgus editi sunt, e quibus tria carmina, in Jul. Caesarem a Catullo composita, num. VIII, IX, et X. posuimus.

Quorum carminum argumenta quum magna ex parte res tangant aut incertas, aut obscuras, ideoque historiae lucem maxime desiderent: in iis explicandis id potissimum nobis spectandum esse arbitrabamur, ut, quae canendi materiem praebuerint, ex rerum gestarum memoria eruere-mus, repertisque argumentis facem historiae ad-moveremus. Quod quidem quo melius et felicius procederet, ne lectoribus molestia imponeretur recurrendi ad libros, quorum auctoritate usi su-mus, ubi fieri poterat, neque abs re aut nimis longum videbatur, ipsorum scriptorum locos, ad singula poëmata illustranda, ad eorumque sensum intelligendum aptos, paucis interdum immutatis, in

in libello appoſuimus. In quo admonere liceat, in verbis ex *Suetonio* et *Dione Caſſio* proferendis, qui ſcriptores nos prae ceteris juverunt, in illo quidem egregiam Erneſtio-Wolfianam; in hoc Reimari editionem ante oculos fuiſſe.

Quemadmodum vero ludicra haec carmina claram lucem non niſi ex hiſtoricis veterum libris capere poſſunt: ita viciſſim illa, recte illuſtrata, omnibusque, ad percipiendum ſenſum idoneis, ornata, eximiam hiſtoriae lucem ſuppeditant. Non ſolum enim Caeſarum mores declarant, ſingulaque et partim minus nota illorum facinora; verum etiam populi, Senatus, et principum Romanorum animum, inde a Jul. Caeſaris imperio magis magisque corruptum, et priſtinae libertatis immemorem ſervituti lubenter ſeſe tradentem, luculentiſſime demonſtrant. Quando enim, ut hoc exemplo utamur, C. Jul. Caeſar *M. Bibulum*, collegam ſuum in Conſulatu, armis foro expellere; quando Senatum et leges, a majoribus acceptas, negligens, civitatem ad arbitrium ſuum unus adminiſtrare audebat, ac principatum ſibi ſoli arrogabat (cfr. I.): non Caeſar, ſed Senatus, ſed

populi principes ſunt reprehendendi, qui, ſummo adulationis ſtudio occupati, vel nimia ignavia et timiditate abjecti, arrogantiae iſti ſeſe neque oppoſuerunt, neque de iſtis facinoribus publice conqueſti ſunt. Vbi Caeſares tot viros praeclaros et illuſtres crudeliſſime occidebant; ubi Neronis manus ipſius matris cruore polluebantur, ac tanta Caligulae erat audacia et inſolentia, ut equum ſuum Conſulem creari audacter poſtularet: non tam Caeſares, quam Senatus ſumma contemtione dignus cenſendus eſt, qui talia ludibria tantus conceſſit, novamque et antea inauditam infamiam aequo animo ferre patique potuit. Atque etiamſi interdum fuerunt, qui, nondum correpti communi adulationis ſtudio et ignaviae labe, ſpiritum ſumerent, Caeſares vituperarent, eorum vitia denudarent, ac cives, ut priſtinam libertatem vindicarent, et majorum leges reſtituerent, libere hortarentur: tamen eorum voces, quas hic libellus continet, nihil valuerunt, ſed vanae et irritae aures aequalium praetervolarunt.

Ceterum quamquam Caeſares iſtorum hominum vocibus et carminibus ſaepe maxime laedeban-

debantur, tamen, quod dignum eſt noſtra attentione, et a moribus noſtrae aetatis maxime abhorret, talium carminum auctores ſapientia potius, quam ſupplicüs, quae infligere facile poterant, ulti ſunt. Nam *carmina Bibaculi et Catulli*, perſcite Tacitus Annal. L. IV. c. 34. ſcribit, *referta contumeliis Caeſarum leguntur. Sed ipſe Divus Julius, ipſe Divus Auguſtus et tulere iſta, et reliquere, haud facile dixerim moderatione magis, an ſapientia. Namque ſpreta exoleſcunt: ſi irraſcare, agnita videntur.* Quod de Jul. Caeſare ita firmat Suetonius in ejus vit. c. 73.: *C. Calvo poſt famoſa epigrammata* (cfr. II.) *de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior ſcripſit. Valerium Catullum, a quo ſibi verſiculis de Mamurra* (cfr. VIII. et IX.) *perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfacientem, eadem die adhibuit coenae, hoſpitioque patris ejus, ſicuti conſueverat, uti perſeveravit.* Eamdemque lenitatem atque indulgentiam et Tiberius, natura ſtrenuior ac dirior, et Nero, crudelitate et ſaevitia turpiſſimus, ſapienter imitati ſunt. Refert enim de Tiberio Suetonius (c. 28.): *Et adverſus convicia maloſque rumores, et famoſa de ſe ac ſuis carmina,*

mina, firmus ac patiens, ſubinde jactabat: In civitate libera linguam mentemque liberas eſſe debere. Et quondam, Senatu cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitante: Non tantum, inquit, otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis: omnium inimicitiae hoc praetextu ad vos deferentur. De Nerone autem idem auctor in vita ejus c. 39. tradit: *Mirum, et vel praecipue notabile inter haec fuerit, nihil eum patientius, quam maledicta et convicia hominum, tuliſſe: neque in ullos leniorem, quam qui ſe dictis aut carminibus laceſſiſſent — — — Neque auctores requiſivit; et quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore poena prohibuit. Tranſeuntem Iſidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, quod Nauplii mala bene cantitaret, ſua bona male disponeret. Et Datus Atellanarum hiſtrio in cantico quodam, ὑγιαίνε πάτερ, ὑγιαίνε μῆτερ, ita demonſtraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinaeque ſignificans; et in noviſſima clauſula:*

„*Orcus vobis ducit pedes*“

Senatum geſtu notaret. Hiſtrionem et philoſophum

Nero

Nero nihil amplius, quam urbe Italiaque submovit, vel contemtu omnis infamiae, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia.

Quod denique ad versuum textum, quem dedimus, attinet, eum recognovimus, et, ubi corruptus videbatur, genuinum reddere studuimus. Varias praecipuorum Codicum MStorum lectiones, et praestantissimorum editorum conjecturas vel emendationes ac notas, quas in libris, ex quibus versus sumpsimus, proposuerant, delectu accurate facto, et iudicio de iis lato, textui adjecimus, ut, si cui magis illorum, quam nostra lectio praeplaceat, eam ipse possit eligere. Quibus emendationibus quod paucas correctiunculas addere conati sumus, nostroque ingenio obsequuti quaedam interdum vel in textu mutavimus, ex eoque ejecimus, vel mutanda esse in notis iudicavimus, ejus rei veniam tanto facilius consequuturos nos speramus, quo diligentius causam illarum mutationum in notis exponere tentavimus. In proferendis autem conjecturis, quibus multi vehementer sibi placent, parciores fuimus, non tam ignavia praepediti, quam timen-

mentes, ne vanam conjectorum quorumdam lubidinem imitari videremur, qui aut, si inter duo verba similitudinem quamdam animadverterint, statim alterum pro altero in textu scriptoris, quem tractant, substituunt, aut addita, vel interposita, vel ejecta una litera, pristinum textui nitorem sua cura restitutum temere opinantur. Quae conjecturae ubi nec familiaritate cum scriptoribus contracta nituntur, nec linguae usu et historiae cognitione sese tuentur: ita fere abhorrent ab ipso auctorum scribendi genere, ut textum magis corrumpant, quam emendent.

Corrigenda.

P. 20. l. 20. pro Ἐυλέγον lege Ἔλεγον
P. 28. l. 14. pro *eus* lege *eis*
P. 30. l. 3. pro *diffitusa* lege *diffitusa*
P. 32. l. 9. pro Hon. V, 33. lege Hon. v. 23.
— — l. 18. pro perididitis lege perdiditis
P. 33. l. 1. poſt *Tagus* pro *commate* pone *punctum*
— — l. 23. pro munda lege Munda
P. 46. l. 1. et p. 48. l. 3. pro *Viden?* lege *Viden;*
P. 55. l. 24. pro ἐφήβυς lege ἐφήβους
P. 64. l. 20. pro exprobarent lege exprobrarent
P. 66. l. 11—12. pro liberatis lege libertatis
P. 76. l. 23. pro σῶ lege ζῶ
P. 77. l. 4. pro διασώζη lege διασώζη



VERSUS LUDICRI
IN
ROMANORUM
CAESARES PRIORES
OLIM COMPOSITI.

I.

IN JUL. CAESAREM.

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Caeſare factum eſt:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

His verſibus, auctoris quidem incogniti, quos Suetonius in Jul. Caeſaris vit. c. 20. nobis ſervavit, haud dubie occaſionem praebuit nota Caeſaris ambitio atque ſuperbia. Nam C. Jul. Caeſar A. V. C. 694. invitus, quum Luc. Luccejum Collegam exoptaſſet, cum M. Bibulo Conſul factus, nihil praetermittendum putavit, quo populi animos ſibi et conciliaret et arctius alligaret. Itaque ille, inito honore, legem agrariam tulit, qua omnes reipublicae agros, excepto illo campano, quem ob praeſtantiam perpetua aerario vectigalia addixit, inter populum diſtribuendos cenſuit (vid. Dion. Caſſ. XXXIII, 1. Sueton. Jul. Caeſ. c. 20.). Cui legi quum M. Bibulus obnuntiaſſet, Caeſar eum armis foro expulit, nec fuerunt, qui poſtero die de hoc facinore in Senatu vehementer conqueſtum defendere, aut ſuper tali conſternatione referre vel cenſere

aliquid auderent. Quam ob ingentem, servis tantum dignam, omnium principum ignaviam, Consul eo desperationis pervenit, ut in posterum, quoad potestate abiret, domo abditus, quod Caesari gratissimum erat, nihil aliud, quam per edicta obpuntiaret. Itaque lex agraria, quamquam magna voce Bibulus conclamaverat, *non obtinebitis legem hoc anno, etiamsi omnes flagitarent*, *) Pompejo aliisque suadentibus, nihilominus perlata est. Qua re tanto gaudio elatus est Caesar, ut paucos post dies frequenti curia jactaret, invitis et gementibus adversariis adeptum se, quae concupisset; proinde ex eo insultaturum omnium capitibus etc. (Sueton. Jul. Caes. c. 22.). Haec et alia effecerunt, ut Caesar principatum sibi soli arrogaret, ex eodemque tempore omnia in republica, numquam alterius rationem habens Consulis, ad arbitrium suum unus administraret. Unde faceti quidam, si quid a Consulibus factum erat, Bibuli nomen omnino reticuerunt, et non *Caesare* et *Bibulo*, sed *Julio* et *Caesare Consulibus* actum dixerunt et scripserunt, bis eumdem praeponentes, nomine atque cognomine. Quod Graecus scriptor

*) Οὐχ ἕξετε τὸν νόμον τοῦτον ἐν τῷ ἔτει τούτῳ, οὐδ' ἂν πάντες ἐθελήσητε. Dio. XXXVIII, 4.

ptor parum accurate videtur enarrasse his verbis usus: „Ὅθεν περ χαριεντιζόμενοί τινες τὸ μὲν τοῦ Βιβούλου ὄνομα παντάπασιν ἀπεσιώπων, τὸν δὲ δὴ Καίσαρα, δὶς καὶ ὠνόμαζον καὶ ἔγραφον, Γάϊόν τε Καίσαρα καὶ Ἰούλιον Καίσαρα ὑπατεύειν λέγοντες.“ Dio Caff. XXXVIII, 8. Quo modo ipsius joci aliqua pars tollitur.

II.

IN JUL. CAESAREM.

Bithynia quidquid
Et paedicator Caesaris unquam habuit.

Auctor hujus distichi, quod in Sueton. Jul. Caes. c. 49. legitur, C. Licinius Calvus fuit, poeta, qui plura in Caesarem carmina famosa scripserat, testante Suet. vit. Jul. Caes. c. 73. „Licinio Calvo, post majora epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior Caesar scripsit.“ Clarus fuit Catulli et Ciceronis amicitia (Catull. epigr. 50. Cic. ad Div. XV, 21.), clarior ingenio acuto, salis pleno, literisque reconditis instructo (Cic. Brut. 82, ad Div. VII, 24. de Finib. I, 2.).

Ver-

Versus ad istam Caesaris in Bithynia apud Nicomedem regem commorationem referendi sunt, apud quem, quum prima in Asia M. Thermi Praetoris contubernio stipendia faceret, ab eoque ad arcessendam classem in Bithyniam, quae regio est Asiae minoris in ora Pontica sita, mitteretur, defecit, non sine rumore prostratae regi pudicitiae: quem rumorem eo auxit, quod avocatus intra paucos dies ad Nicomedem reversus est (Sueton. Jul. Caes. c. 2.). Propter quam consuetudinem omnium fere conviciis expositus, multa et gravia est opprobria perpessus. Nam quis e gr. nescit, quam acerbe eum Dolabella pellicem reginae, Ipondam interiorem regiae lecticae, et Curio stabulum Nicomedis, Bithynicumque fornicem dixerint? Quis mordaces illos Catulli versus non legit: *Quis hoc potest videre, quis potest pati, nisi impudicus* etc.? (cfr. infra VIII.). Quis porro virulenta illa Bibuli edicta haud cognovit, in quibus Caesar, dum proscribitur, Bithynica regina appellatur, cui, ut antea rex, sic nunc regnum cordi sit? Quis nescius est ejus dicterii, quod M. Brutus refert, Octavium quemdam, ob mentis valetudinem liberius dicacem, conventu maximo quum Pompejum regem appellasset, Caesarem reginam salutasse?

taſſe? Quid? quod C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi eum ſtetiſſe objecit, cum reliquis exoletis, pleno convivio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum nomina refert. Et Cicero non contentus, in quibusdam epiſtolis ſcripſiſſe, a ſatellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veſte purpurea decubuiſſe, floremque aetatis a Venere orti in Bithynia contaminatum; quondam etiam in Senatu Caeſari defendenti Nyſae cauſam, filiae Nicomedis, beneficiaque regis in ſe commemoranti, *Remove*, inquit, *iſtaec, oro te: quando notum eſt, et quid ille tibi, et quid illi tute dederis* (Sueton. Jul. Caeſ. c. 49.). Cujusmodi conviciis atque opprobriis etiam hoc diſtichon accenſendum eſt, cujus ſenſus ex iis, quae diximus, facillime perſpicitur.

Ceterum verſus noſtri olim ordine eodem, quo oratio proſa, ſcribebantur. Sed Torrentinus jam recte animadvertit, in verbis: *Bithynia quidquid*, finem eſſe hexametri, cui ſubjungatur integrum pentametrum. Et Gruterus eos primus ut verſus diſtinxit; quam rationem, qui ſequuti ſunt editores, recte tenuerunt.

III.

III.

IN JUL. CAESAREM.

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem. Ecce, Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias: Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem. *)

Hoc carmen joculare trochaicis catalecticis constat, quo metro quum poëtae tragici fere usi reperiantur in rebus gravioribus, augentur facetiae, ubi id versuum genus ad res ludicras transfertur. Nostrum quidem poëmatium a militibus in Caesarem de Gallis A. V. C. 707. triumphantem per jocum pronunciatum atque decantatum est; quod Sueton. Jul. Caes. l. l. sic testatur: „Gallico triumpho milites ejus (Caesaris) inter cetera carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiaverunt.“

At forsitan ingentem militum et insolentiam et petulantiam mireris, quos nec debita duci observantia, nec rara, quae Caesari fuit, auctoritas a talibus conviciis

*) V. Sueton. Jul. Caes. c. 49.

viciis cohibuerunt. Sed apud Latinos veterem bellantium fuisse consuetudinem, a scriptoribus saepius notatam, in duces triumphantes jocos et facetias inferendi supra *in proleg.* pluribus exposuimus, quae velimus conferantur.

Et si ad rem spectas, quam milites his versibus tangunt, eadem est, quae antea. Acerbissimis verbis Caesarem ob diuturnam illam, ac maxime impudicam in Bithynia apud Nicomedem commorationem castigant, quae militibus aeque ac omnibus civibus notissima, Caesarem ludificandi magnam illis materiem praebebat. Quod claris verbis firmat Dio Cass. XLIII, 20. „Τούτοις τε κατευχομένων γε οὖν ἕνεκα καὶ ὑπεραθυμήσασιν αὐτῷ καὶ ἔτι καὶ τὴν παῤῥησίαν τοῦ στρατοῦ πρεπόντως ἤνεγκε· τούς τε γὰρ ἐς τὰ συνέδρια σφῶν ὑπ' αὐτοῦ καταλεχθέντας ἐτώθαζον, καὶ τά τε ἄλλα ὅσα περ ἐνείκετο, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα τόν γε τῆς Κλεοπάτρας αὐτοῦ ἔρωτα καὶ τὴν παρὰ τῷ Νικομήδει τῷ τῆς Βιθυνίας βασιλεύσαντι διατριβὴν, ὅτι μειράκιόν ποτε παρ' αὐτῷ ἐγεγόνει, διεκερτόμησαν· ὥστε καὶ εἰπεῖν ὅτι Καῖσαρ μὲν Γαλάτας ἐδουλώσατο, Καίσαρα δὲ Νικομήδης, κτλ." In quo loco illud ἐδουλώσ

το, etsi sensui respondet, tamen videtur minus efficax esse, quam Latinorum *fugegit*, quod est magis ambiguae significationis.

IV.

IN JUL. CAESAREM.

Urbani, servate uxores, moechum calvum adducimus.

Perstringitur hoc versu, quem teste Sueton. Jul. Caes. c. 51. milites in celeberrimo Gallico triumpho in Caesarem jactaverunt, lubido ejus in feminas, quatum Romae, tum in provinciis, magnam sibi ignominiam pararat. Nam sicuti Romae plurimas atque illustres feminas corrupit, inter easque Lolliam Aulli Gabinii, Postumiam Servii Sulpicii, Tertullam M. Crassi, Muciam Cn. Pompeji, et ante alias Serviliam M. Bruti matrem: sic ejusdem consuetudo cum Eunoë Mauro, Bogudis Mauritaniae regis uxore, et cum Cleopatra, Aegypti regina, duodevicesimum tunc aetatis annum agente, haud decoram ei famam disseminavit: eumdemque se praebuit imprimis in Gallia, unde triumphan-

pliantes bellatores illum in eum verſum jecerunt. Quo in verſu, quod falſe eum dixerunt *calvum moechum*, id Caeſari eo acerbius eſſe debuit, quia calvitio deformatus fuit. „Calvitii enim," ſcribit Suet. Jul. Caeſ. c. 45., „deformitatem iniquiſſime tulit, ſaepe obtrectatorum obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice aſſueverat, et ex omnibus decretis ſibi a Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut uſurpavit lubentius, quam jus laureae perpetuo geſtandae."

Praeterea verſui illi Suetonius alium adjecit:

Aurum in Gallia effutuiſti; at hic ſumpſiſti mutuum,

ita ut duo verſus olim conjuncti fuiſſe videantur. Sed inde non poteſt effici, uno eodemque tenore milites iſtos pronunciaſſe verſus, quum potius intervallo quodam cantati fuiſſe videantur. Quoniam enim Suetonius illo loco Caeſaris in feminas lubidinem incitatam, qua neque reginis, neque provincialibus abſtinuerit, ad eamque lubidinem arguendam verſum noſtrum, veluti teſtimonium, proferri apparet, ſecundum verſum, qui praecipue magnum, quod ille mutuum ſumpſerat, nec

alio-

alienum perſtringit (conf. V.) a primo eſſe ſejungendum. Accedit, quod in verſu priore milites alloquuntur *urbanos*, in poſteriore ipſum *Caeſarem*, de quo antea, tamquam de abſente, erat ſermo. Quod ſi dixiſſent, *Caeſar effutuit, ſumpſit*, loci ſenſus melius cohaereret, ac verſibus litem intendere minus auderemus.

V.

IN JUL. CAESAREM.

Aurum in Gallia effutuiſti; at hic ſumpſiſti mutuum.

Sic hunc verſiculum ex multis optimisque Codicibus egregie reſtituit Cauſabonus, ita ut omnes poſt eum viri docti hanc lectionem recipere haud dubitarent, quum antea circumferretur: *Auro in Gallia flagrum emiſti* etc., noſtra ſententia gloſſema librarii, infeliciter in textum receptum. Admiſimus quoque ex Cod. Med. tert. particulam *at* cum Ernestio, qua non tantum metrum expletur, ſed etiam membrorum oppoſitio efficacior redditur.

Pedes

Pedes versus, qui est tetrameter trochaicus catalecticus, sic ordinamus:

Aurum in | Galli | a effutu | isti; at | hic sum |
psisti | mutu | um.

Quare non opus videtur levibus Glareani et Gujet emendationibus, e quibus hic, metro, uterque ut ajebat, postulante, conjecit *in Gallias* pro *in Gallia*; ille *effutivisti* pro *effutuisti*; in quo verbo *effutire* nulla inest nota lubidinis, quam milites hic procul dubio simul carpere volunt. Ceterum de eo, quod in Politiani libro, praestante Msto codice Med. tert., *in Galliam* legitur, Oudendorpius haec dicit: „Illud *in Galliam* vel *Gallias effutuisti* est sensus acutissimi, indicans, Caesarem Gallicarum illustrium matronarum stupris et adulterijs, auro emtis, magis, quam armis et virtute, Gallias subegisse." Sed haec lectio neque codicum Mstorum auctoritate fulcitur, neque sensum commodum suppeditat. Nam si milites dixissent, hoc modo Gallias superasse Caesarem, nonne multum virtutis atque gloriae, inde adeptae, etiam sibimet ipsis detraxissent?

Alium, sed non feliciorem, sensum Glareanus attulit, probante Pitisco: „Quod aurum heic ex aera-

rio

sio sumsisti mutuum, nempe ut fures solent, nunquam reddituri: hoc, inquam, effutuisti in Gallia, i. e. turpiter cum magnatum feminis insumsisti.“ Jejunior est Beroaldi interpretatio: „Heic sumsisti mutuum, i. e. heic vicissim tuam etiam uxorem stuprari a Clodio passus es!“ Fortasse igitur felicior ac simplicior, et versui accommodatior haec, quae sequitur, sensus explicatio est. Nam grandi, id quod satis constat, Caesar in aere fuit alieno, declarante Sueton. Jul. Caes. c. 13. „Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinem aeris alieni, quum mane ad comitia descenderet, praedixisse matri osculanti fertur, domum se nisi Pontificem non reversurum.“ Cap. 46. „Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi (eum) prodiderunt: villam in Nemorensi, a fundamentis inchoatam, magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam deruisse, quamquam *tenuem adhuc et obaeratum.*“ Et cap. 54: „In Hispania a Proconsule et a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium *aeris alieni.*“ Item in libris linteis magistratuum Rom. est fragmentum, in quo ad V. Kal. Sept. haec invenimus: „C. Caesar in Hispaniam ulteriorem ex Praetura proficisci.

eiciatur, *diu prius retardatus a creditoribus.*" (Vid. Voſſ. ad Catull. epigr. XXIX.). Itaque magno jure putamus, milites, ejusdem rei haud inſcios, in verſiculo noſtro ingentem Caeſaris, quam fecerat, verſuram notaſſe, tanto illam turpiorem, quanto major et profuſior ejus in mulieres ad fines lubidinoſos aſſequendos erat largitio, quantoque minus credi poterat, pecuniam ab eo mutuo ſumptam, ac lubidine effuſam, debitoribus unquam redditum iri.

VI.

IN JUL. CAESAREM.

Gallos Caeſar in triumphum ducit, idem in curiam.
Galli bracas depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt. *)

Hi duo trochaici ex ludibrio iraque magnae Caeſaris ſuperbiae exiiſſe videntur. Jam pridem enim Caeſar omnia coeperat ad arbitrium regere atque perficere, et in dies ejusdem arrogantia magis ac magis ita increvit, ut honores et ad voluntatem aliis daret, et

*) V. Sueton. Jul. Caeſ. cap. 80.

et ad lubidinem sibi arriperet. Nam alia ut omittamus, magna licentia, spreto patriae more, magistratus in plures annos ordinavit: decem praetoriis viris consularia ornamenta tribuit etc. Praeterea monetae, publicisque vectigalibus, peculiares servos praepositi. Tritum legionum, quas Alexandriae reliquerat, curam et imperium Rufioni, liberti sui filio, exoleto suo, demandavit. (Sueton. Jul. Caes. c. 76.). Quae quamvis populus tum aegerrime ferret, tum vehementissime doleret, nihil ei tamen molestius fuit, acerbiusque esse debuit, quam quod *e semibarbaris Gallorum quosdam in curiam receperat*, quos antea ductos in triumpho victos, victores Romani, ut vulgo fit, despexerant, nec sibi pares haberi posse putarant. Itaque praesenti reipublicae statu haud contenti, clam palamque dominationem detrectantes libertatis vindices flagitarunt. Peregrinis igitur in senatum allectis, cum libellus quidam propositus est: *Bonum factum: ne quis senatori novo curiam monstrare velit*; tum versus illi decantati sunt, quos supra in medium protulimus, e quibus alter maxime est acerbus. Nam quos P. R. antea ampla ob bracas ludificarat, eos nunc ut senatores laticlavios dicitur venerari.

Quod

Quod reliquum est, apud Romanos scriptores fere occurrit *in triumpho ducere*, quod est de ipso triumphi actu: nunc oppositionis causa est *in triumphum ducere*, quo consilium potius, et id, quod geri debeat, significatur; sicuti Liv. XLV, 39. „Et vos gentium, quam Persea, *duci in triumphum* mavultis, Quirites“ – ?

Idem in curiam. – Sic habent Codd Medicei, Vindobon. uterque, Cortian., Voss, Reg. et Salmas., Pal. pr. et secund., nec abit tert., nisi quod is *iidem*, itemque Pulm. et Edd. Rom., ex quibus Faërnus et Gruter. egregiam nostram lectionem restituerunt; quum antea vulgaretur *ducit: iidem in curia Galli* etc., ita ut unum epigramma esse videretur. In VV. CC. legitur: *Gallos Caesar in triumphum duxit: inde in curiam Galli* etc., et in Cod. Petiz. ac veteribus multis Edd. *iidem in curia*, quae lectio neque pluribus codicibus Mstis probatur, neque facetum illum sensum praebet, quem nostra, qua Caesar, quos in triumphum duxerit, eosdem etiam in curiam duxisse, acerbissime notatur.

Galli bracas ſumpſerunt — — Erunt fortaſſe, qui putent, corruptum eſſe hunc verſiculum, quod penultima, vulgo brevis, longa eſt. Hi vero recordentur huiusmodi exempla, quae in eadem conjugatione tertiam perf. plur. perſonam corripiunt: *Poſtquam Aediles emerunt.* Terent. Eun. prol. 20. *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* Virg. Ecl. IV, 61. *Nec ſteterunt in te virque paterque meus.* Ovid. epiſt. Heroid. VII, 166. Et ita *quaeſierunt*, *vagierunt*, *exciderunt*, *horruerunt*, *expulerunt*, *fuerunt*, *mollierunt*, *audierunt* aliaque. Cfr. Heinſ. ad Ovid. epiſt. Heroid. VII, 166.

VII.

IN JUL. CAESAREM.

Brutus, quia reges ejecit, Conſul primus factus eſt;
Hic, quia Conſules ejecit, rex poſtremo factus eſt.

In eodem Sueton. Jul. Caeſ. capite, quo proxime priores, etiam hi verſus inſunt, quos quidam e Romanis Caeſaris ſtatuae ſubſcripſerunt, ſolemni iis con-

consuetudine, qua, quod palam poscere non audebant, in secreto significarunt (cfr. sup. proleg.). Nam, ut jam antea diximus, Caesaris arrogantia, et superbia, et dominatio, quam jam ab aetate prima luculenter ostenderat, in dies adeo intumuerunt, ut gravem sibi tum Senatus, tum populi, invidiam pararet, et in suspicionem appetitae regiae dignitatis caderet. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, insuper pronomen Imperatoris, cognomen patris patriae, statuam inter reges, suggestum in orchestra: sed etiam ampliora humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia et pro tribunali, tensam et ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, Lupercos, appellationem mensis e suo nomine (v. Sueton. Jul. Caes. c. 76.). Testes ingentis ejusdem impotentiae praeterea sunt voces, quas, T. Ampio auctore, propalam edidit: *Nihil esse rempublicam, appellationem modo, sine corpore ac specie. Sullam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere, quae dicat* (Sueton. Jul. Caes. c. 77.). Idem declarat insolentia, qua Euripideos in

Phœniſſis verſus (§35. 36.) ſemper, teſte Cicerone in libro, qui eſt de Officiis III, 21., in ore habuit:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρῆ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. *)

Quid? quod eo arrogantiae atque dominationis progreſſus eſt, ut, quod praecipuum et inexpiabile omnium ſibi odium attulit, adeuntes ſe cum plurimis honorificentiſſimisque decretis univerſos Patres conſcriptos ſedens pro aede Veneris Genetricis exciperet (Sueton. Jul. Caeſ. c. 78.). Id nonnulli quidem excuſare conati ſunt eo, quod alvi profuſione laboraverit, veritusque, ne, ſi aſſurgeret, eum dejiceret, in ſede remanſerit, **) quae abſurda eſt excuſatio. Alii retentum dixerunt a Corn. Balbo, quum aſſurgere voluerit. Sed quae ejus ſuperbia erat, eum ne voluiſſe quidem ſurgere, ſatis declarat Suetonius narrans:

Alios

*) Cicero hos verſus l. l. ſic vertit:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

**) Tradidit hoc Dio Caſſ. XLIV., 8. Ἔνιοι μὲν γὰρ ἀπολογούμενοί τινες ὑπὲρ αὐτοῦ μετὰ ταῦτα, ὅτι τῆς τε κοιλίας ἀκράτης ὑπὸ διαῤῥοίας ἐγεγόνει, καὶ διὰ τοῦτο, ἵνα μὴ ἐξιδίσῃ, κατέμεινεν.

Alios putaſſe, ne conatum quidem omnino, ſed etiam admonentem C. Trebatium, ut aſſurgeret, minus familiari vultu reſpexiſſe.„ Idque factum tanto intolerabilius eſt viſum, quod ipſe, triumphanti et ſubſellia tribunitia praetervehenti ſibi, unum e collegio Pontium Aquilam non aſſurexiſſe, adeo indignatus ſit, ut proclamaverit, *Repete ergo a me, Aquila, rempublicam Tribunus:* nec deſtiterit per continuos dies quidquam cuiquam, niſi ſub exceptione polliceri, *ſi tamen per Pontium Aquilam licuerit* (Sueton. l. l.). Ad quam inſignem deſpecti Senatus contumeliam multo arrogantius factum adjecit. Nam quum ſacrificio Latinarum revertente eo inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam e turba ſtatuae ejus coronam lauream candida faſcia praeligatam impoſuiſſet, et Tribuni plebis, Epidius Marullus Caeſetiusque Flavus, coronae faſciam detrahi, hominemque duci in vincula juſſiſſent; dolens ſeu parum proſpere motam regni mentionem, ſive, ut ferebat, ereptam ſibi gloriam recuſandi, Tribunos graviter increpitos, poteſtate privavit: neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere valuit, quamquam et plebi, regem ſe ſalutanti, *Caeſarem ſe, non regem eſſe*, reſponderit

rit *): et Lupercalibus, pro Roſtris a Conſule Antonio admotum ſaepius capiti ſuo diadema repulerit, atque in Capitolium Jovi O. M. miſerit (Sueton. Jul. Caeſ. c. 79.), dicens, *Jovem tantum eſſe regem.* Quamquam ex ea re tantum gaudii cepit, ut in Annalibus inſcribi juberet: diadema a P. R. oblatum ſe renuiſſe **). Neque igitur ineptum eſt putare, Caeſarem, ſi fortuna ita tuliſſet, ipſique de populi voluntate ſatis perſuaſum fuiſſet, lubentiſſime diadema accepturum. Id quum ſenatores non minus, quam populus, ſentirent, ſaepius eum regio inviſo Romanis nomine appellaverunt, et dominationem vehementer timentes, quosdam, qui libertatem vindicarent, audacter flagitarunt. Itaque, „Γράμματά τε," refert Dio Caſſ. XLIV, 12. „τῇ ὁμωνυμίᾳ αὐτοῦ τῇ πρὸς τὸν πάνυ Βροῦτον, τὸν τοὺς Ταρκυνίους καταλύσαντα, καταχρώμενοι, πολλὰ ἐξετίθεσαν, φημίζοντες αὐτὸν ψευδῶς ἀπόγονον ἐκείνου εἶναι. ἀμφοτέρους

*) Αὐτὸς μὲν οὖν, ἔφη, βασιλεὺς, ἀλλὰ Καῖσαρ καλεῖσθαι Dio Caſſ. XLIV, 10.

**) Ὅτι Ζεὺς μόνος τῶν Ρωμαίων βασιλεὺς εἴη, καὶ τὸ διάδημα αὐτὸ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἔπεμψεν. οὐ μέντοι καὶ ὀργὴν ἔσχεν, ἀλλὰ καὶ ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι ἐποίησεν, ὅτι τὴν βασιλείαν παρὰ τοῦ δήμου διὰ τοῦ ὑπάτου διδομένην οὐκ ἐδέξατο. Dio Caſſ. XLIV, 11.

ρους γὰρ τοὺς παῖδας, τοὺς μόνους οἱ γενομένους, μειράκια ἔτι ὄντας ἀπέκτεινε, καὶ οὐδὲ ἔγγονον ὑπελίπετο. οὐ μὴν ἀλλὰ τοῦτό τε οἱ πολλοὶ, ὅπως, ὡς καὶ γένει προσήκων αὐτῷ, ἐς ὁμοιότροπα ἔργα προαχθείη, ἐπλάττοντο· καὶ συνεχῶς ἀνεκάλουν αὐτὸν, ὦ Βροῦτε, Βροῦτε, ἐκβοῶντες· καὶ προσεπιλέγοντες, ὅτι Βρούτου χρήζομεν καὶ τῷ τούτου βήματι ἐπέρρίψαν, ἔτι „καθεύδεις, ὦ Βρούτε· καὶ, Βροῦτος οὐκ εἶ.“ Et faceti quidam L. Bruti ſtatuae ſubſcripſerunt, *utinam viveres* *), quod is Tarquinios quondam depulerat, ipſiusque Caeſaris ſtatuae illi, quos ſupra diximus, verſus adjecti legebantur.

Ceterum in his verſibus Faërnus legit: *Brutus, qui Conſules ejecit*, et *Hic, qui* etc., quod valde friget, quum *quia* cauſam luculenter declaret, cur Brutus *primus Conſul*, et Caeſar *rex factus ſit*. Ac verſus ſecundus in ed. Rom. non reperitur, et in Lugd., Junt., Steph., Ald., Arg., occurrit *rex poſtremus*, quod procul dubio poſitum eſt, ut prioribus verbis „*Conſul primus*“ reſpondeat. —

VIII.

*) Εἴτε ἔζης. Dio l. l.

VIII.

IN JUL. CAESAREM.

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati *)
Niſi impudicus, et vorax, et helluo: a)

Vehementer indignatur Catullus, Mamurram, cum quo Caeſar ſtupri conſuetudinem habuiſſe dicitur (Catull. epigr. LVII.), tantas divitiarum copias coëgiſſe, quantas bonus quisque, illiusque mentis alienus, nec videre, nec pati poſſet; eumque, ita affectum, omnia perdere, ac lubidinibus ſuis corrumpere. Acerbe igitur Caeſarem foediſſimo huic monſtro ſimillimum judicat, qui ea non ſolum aequo animo videat et patiatur, ſed etiam foveat; et ſalſe quaerit a Caeſare, an forte populos eo conſilio debellaverit, ut praedas, inde reportatas, Mamurrae diſſipandas devorandasque permitteret. Ubinam, ait, ſunt iſtae praedae? Quid hunc timetis, Galli et Britanni? Quid illum fovetis, qui nil niſi detrimentum vobis afferre poteſt?

a) In ed. Vulpiana aliisque reperitur *aleo*, pro quo cum Scalig., Graev., Voſſ., edit. Bipont. etc. recepimus

*) V. Catull epigr. XXIX.

Mamurram habere, b) *quod comata Gallia*
Habebat uncti, et ultima Britannia? c)

Cinaedo

mus *helluo*, tum quod v. 16. *helluatus es* occurrit, tum quod hoc aptiorem ſenſum reddit. Cf. infr. v. 10.

b) Mamurra, Formiis, veteri Campaniae oppido, natus, indeque ſaepius, Formianus dictus (Catull. epigr XLI. et XLIII.), praefectus fabrûm Caeſaris in Gallia fuit, vitamque lautam ac ſplendidam, et inſano luxu repletam, geſſit, quod Plin. XXXVI, 6. ſic enarrat: „Primum Romae cruſta marmoris operuiſſe totius domus ſuae in Coelio monte Cornelius Nepos tradidit, Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, praefectum fabrûm C. Caeſaris in Gallia, ne quid indignitati deſit tali auctore inventa re. Hic namque eſt Mamurra, Catulli Veronenſis carminibus proſciſſus, quem et res, et domus ipſius clarius, quam Catullus, dixit habere, quidquid habuiſſet comata Gallia. Namque adjicit idem Nepos, eum primum totis aedibus nullam niſi e marmore columnam habuiſſe, et omnes ſolidas Cariſtio vel Lunenſi.„ Sic haec verba emendavit Voſſius.

c) *Habebat cuncta* ed. priſca Venet. et Scalig., qui inde fecit *uncto*, quod eſt pro *unctum*. Muret.

omnis

5 *Cinæde Romule* d), *hæc videbis et feres?* e) *Et*

omnis, procul dubio pro *cuncta* positum, ut versus sibi constaret. Statius refert, in codicibus Mstis occurrere *habebat cum te*, quam ob rem fortasse legendum sit *ante*. Ingeniose vero ex illa lectione *cum te* Faërnus rescripsit *uncti*, quo verbo in hoc carmine poëta paulo post utitur: *uncta devorare patrimonia*. Nam sensus est: nisi impudicum, vorácem, et helluonem ferre posse neminem, quod, quaecunque comata Gallia, et ultima Britannia bona lautiora, et quascunque res opiparas possederint, Mamurra iis eripuerit, sibique vindicarit. *Comata Gallia* est *Gallia Transalpina*, et *ultima Britannia* i. q. remotissima Britannia. Sic *India extrema* Cic. Verr. V, 65.

d) Romuli nomine appellavit Caesarem propter imperium, quod et usurpaverat, et augere in dies studebat. Eodem sensu occurrit hoc verbum Sueton. Tiber. LIX. „Adspice Felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam.“ Nostro loco illum titulum maxime invidiosum turpemque reddit, quod additur *cinaede*. Cui interpretationi proxime accedit Scaliger, qui tradit, *Romulum* poni pro eo, qui ita gratia populari gaudeat,

Et ille nunc superbus, et superfluens f)

Per-

deat, ut regnum, tamquam alter Romulus, obtinere videatur. Quibus male adjecit Doeringius: de virtute bellica enim nihil detrahere Caesari poëtam, imo eum vocare *imperatorem unicum*; nam Caesar a Catullo non laudis et virtutis causa, neque *imperator unicus*, (quod εἰρωνικῶς dictum est, vid. v. 11.), neque *cinaedus* vocatur. Annotavit Muretus: Romanos hoc nomine uti solitos esse in eos, quos significare voluerint dissimillimos Romuli. Quae explicatio tantum abest, ut a Dousa P. probetur, quod falso Doering. tradidit, ut ille eam acriter impugnet. Dousa enim opinatur, nomen Romuli vulgatum in eos convicium fuisse, qui profunda imperii cupidine accensi dominationem in cives suos affectassent.

e) Huic versui in editt. Mureti, Scalig., Dous., Vulp., Gryph., Doering., rel. alius adjectus est: *et impudicus, et vorax, et helluo (aleo)*, quem cum ed. Venet. et Voss expunximus, quum testibus Scalig., Voss., et ed. Cantabr. in libris manu exaratis non inveniatur, et nostro judicio a scriba quodam versus 10. in nostrum locum male illatus sit.

f) *Superfluens* non tam de Mamurrae lubidinibus,

ac

Perambulabit g) *omnium cubilia,*
Et albulus columbulus Dioneus? h)

Cinæde

ac profluvii genitalis abundantia, ut vult Douſa P., quam de nimia divitiarum ejus copia valet, quibus elatus, atque inſolens (Homeri ὑπερφίαλος) omnium cubilia contaminabit.

g) Ed. Venet. *perambulavit.* Verbum *perambulare* h. l. obſcoenum ſenſum habet, quippe factum ad exemplum graeci verbi βῆναι, quod de ſtupris uſurpari conſtat ex notis illis: ἐμβασίκοστοι et ἐμβασικοῖτας.

h) Ed. Venet. aliaeque veteres *columbus aut dionæus.* In codicibus quibusdam Mstis legitur *aut idoneus*, et in Statii libro *aus ydoneus;* unde Scalig. et Stat. correxerunt *aut Adoneus.* Eſt enim apud Latinos Adoneus idem, quod Adonis. Vid. Plaut. Menoech. I, 2. Sed emendationi huic imprimis id obſtat, quod miro plane modo columbus et Adonis comparationis cauſa junguntur. Quod ſi ſalvo metro legi poſſet *Columbus Adoneus*, ejecta particula *aut*, ſenſus aptiſſimus evaderet. Probabilior eſſet Voſſii emendatio *Columbus Aidoneus*, quam plane probaſſemus, ſi

uſus

Cinæde Romule, hæc i) *videbis et feres?*
Es impudicus, et vorax, et helluo. k) 15

Eone

uſus illius adjectivi, a voc. *Adonis* derivati, idoneis exemplis demonſtrari poſſet. Aptior foret correctio *Aphrodiſius*, ſi ita occurreret. Quamobrem nulli lectioni major fides accedere videtur, quam Mureti et Heinſii (in not. ad Catull.) *columbulus Dioneus*, quae veſtigiis ſcripturae codicum *aut*, vel *et idoneus* accommodatiſſima eſt. Sic noſter verſus plane reſpondet illi Alexidis apud Athenaeum L. IX, c. 11. Ὁ λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμι γὰρ περιστερός. Nam Dioneus idem eſt, quod venereus, a Dione Venere, cui columbae ſacrae erant. Stat. Sylv. III, V. v. 80. *columbae Dioneae.* Et reſpicitur h. l. non, ut Doering. putat, ad externum Caeſaris ſplendorem et ſuperbiam, ſed ad lubidinem ejus, quam ſuperiores verſus perſtringunt. Praeterea ne quis hoc diminutivorum concurſu offendatur, Catullus id ſcribendi genus praecipue amat. V. c. epigr. III, 18. *Turgiduli rubent ocelli.* XXV, 2. *Imula oricilla.* XXXVII, 7. *Uno in lectulo erudituli ambo.* LXIII, 316. *Aridulis haerebant labellis.*

i) *Hoc videbis.* Scalig. Voſſ. rel.

k) Voſſius ex corrupta quadam ſcriptura *et ſi* male

cor-

Eone nomine, Imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vostra diffituta mentula
Ducenties comesset, aut trecenties? 1)

Quid

correxit: *est impudicus* etc., et versum ad Mamurram refert. Sed quum omnes, quas vidimus, Editt. habent *es*, tum hunc versum ad Mamurram referre absurdum videtur. Catullus enim carmen incipit, hoc nisi impudicum, voracem, atque helluonem ferre posse neminem. Jamque, postquam demonstravit, Caesarem hoc semper et vidisse, et tulisse, quasi castigans exclamat, ergo es impudicus, et vorax, et helluo. Quamobrem recepimus quoque cum Scalig., Voss., aliisque *helluo*, valdeque miramur, cur Graevius v. 2. *helluo*, hic vero *aleo* scripserit; quo loco dicteria, quae supra poëta jactaverat, ad Caesarem accommodantur. Ceterum aleas Caesarem, sicuti Augustum, lusisse, indicium est nullum.

1) An eo forte consilio in Britannia fuisti, ut insatiabili Mamurrae voracitati, detestabilibusque ejus lubidinibus satisfaceres? Salse Caesar et εἰρωνικῶς h. l. *Imperator unicus* appellatur, quod nostra senten-

tia

Quid eſt, ait, ſiniſtra liberalitas?

Pa-

tia non, ut interpretes putant, in laudem ejus trahi poteſt. *Unicus* enim eſt ſingularis, is, qui ſibi parem non habet. Quamobrem Caeſar, ſi tantum Mamurrae cauſa, ut Catullus refert, in Britannia fuiſſe videbatur, ideoque hac in re parem ſibi non habebat, merito *Imperator unicus* appellatur. *Diſfututa* i. e. coitu exhauſta.

m) Ed. Venet. habet *Quid eſt? alit ſiniſtra liberalitas*, et ſic omnes fere codices MSti; quam lectionem Statius probat: nam *alit* vel *alid*, quod Vulpius ſcripſit, poſitum eſt pro *aliud*. Hinc Faernus perperam conjecit: *quid attulit ſiniſtra* etc., et Hieron. Avantius: *quid eſt? an haec ſiniſtra* etc., quam lectionem receperunt Muret., Graev., Gabbema., aliique. Scaligeri liber habebat *ait*, quod Voſſ. et *Doering.* probarunt. Sed quum ex omnibus illis lectionibus frigidus ſenſus evadat, jure hunc locum corruptum, et ſic emendandum putamus: *Quid æſtuat ſiniſtra liberalitas? Parum expatravit?* — Senſus loci is eſt: quid concitato quaſi affectu effunditur liberalitas tua? *Siniſtra*, h. e. qua perverſe beneficia tua collocas. Verbum

Parum expatravit? an parum helluatus est? n)
Paterna primâ o) *lancinata sunt bona:*
Secunda præda Pontica: p) *inde tertia*

Ibera

bum, quod reſtituimus, tanto eſt aptius loco, et ad ſententiam gravius, quo magis omnis illa liberalitas in ſtupris et flagitiis exercebatur. Nam verb. *eſtuare* imprimis de amoris impotentia dici, multis exemplis notum eſt. Sic Ovid. Met. VI, 492. Claudian. in nupt. Hon. V, 23.

n) In ed. Graev., Douſ. etc. reperitur *helluatus es* pro *eſt*, quod recepimus, quum illud *parum expatravit* ad Mamurram; hoc *an parum helluatus es* ad Caeſarem referamus. Nam utrumque ob ingentem impudicitiam, voracitatem atque helluationem pariter a poëta caſtigari, toto ex carmine patet, luculenterque perſpicitur tum ex v. 13. „ut iſta voſtra diffututa mentula ſqq.," tum ex v. 17–19., tum denique ex ultimo verſiculo „ſocer generque perididiſtis omnia."

o) In ed. Venet., Voſſ., aliisque vett. circumfertur *primum*, ſed minus concinne.

p) Plerique interpretes graviſſime errant, qui hanc prae-

Ibera: q) *quam ſcit amnis aurifer Tagus,* r) *Hunc;*

praedam de ſpoliis, quae, ſuperato Pharnace, Ponti rege, Caeſar retulerit, intelligunt. Quod etiam Scaliger putaſſe videtur, dum in ſuis ad Euſeb. Chron. animadverſionibus num. 1960. longam, ac nimis ſubtilem, de Catulli aetate diſputationem inſtituit, qua argumentari ſtuduit, Catullum admodum ſenem obiiſſe, et quatuor Caeſaris triumphos hoc in carmine ſpectaſſe. Non vero triumphorum, ſed praedarum, et tantum quidem praedae Ponticae atque Iberae hic mentio fit, quum etiam de Galliis, de Aegypto et de Africa Caeſar triumphaſſet. Haud dubie igitur hoc poëmatium ſcriptum eſt poſt expeditionem Britannicam, ante civile bellum, et praeda Pontica nihil aliud eſt, niſi quidquid lucri ac praedae Caeſar ex Aſiatica expeditione, contubernio M. Thermi Praetoris, et conſuetudine cum Nicomede rege (Cfr. ſupra II. et III.) abſtulerat.

q) A plerisque interpretibus, inprimisque a Scaligero haec praeda falſe de victoria Mundenſi accipitur, quum flumen Tagus teſtis invocetur, qui ſupra ducenta paſſuum millia eſt a munda remotus. Itaque

 rectius

Hunc, Galliæ, timetis, et Britanniæ? s) 20 *Quid*

rectius hanc praedam interpretemur neceſſe eſt de ſpoliis belli Luſitanici, inde ab A.V.C. 693. a Caeſare geſti. Quod etiam Sueton. Jul. Caeſ. 54. firmare videtur, quum ita referat: „Luſitanorum quaedam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, et advenienti portas patefacerent, diripuit hoſtiliter.“

r) *Quam auxit* male quidam legunt pro *quam ſcit*, et Scalig., quum ſcriptum inveniret: *Ibera qua ſe amnis aurifer Tagus*, infeliciter conjecit: *quas* (ſc. praedas) *et amnis aurifer Tagus*, quam ſcripturam Gabbema recepit. Sed lectio *quam ſcit* evidentiſſima eſt, non ſolum ob ſenſum egregium, ſed etiam quod ſaepe fluvii magnis virtutibus probandis teſtes appellantur. Sic Catull. LXIII, 357. „Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri.“ Tibull. I, VIII. 11. 12. „Teſtis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna, carnuti et fluvii caerula lympha Liger.“ *Tagus* fluvius eſt Hiſpaniae atque Luſitaniae, aureis aquis notiſſimus.

s) *Hunc Galliae timent, timent Britanniae* Scalig.,

Quid hoc malum t) *fovetis? aut quid hic poteſt*
Niſi

lig., Graev., Douſ., Voſſ., etc., quae lectio Avantii ingenio debetur. *Hunc Galliæ timet terra, et Britanniæ* ed. Venet., cui proxime accedit ea, quam Scaliger in libro ſuo invenit: *Hunc Galliæ timent tellus, et Britanniæ*; quem verſum, ita ſcriptum, non mirum eſt, quod pro ſpurio habuit. *Timentque Galliæ hunc, timent Britanniæ* Tumeb., pro quo legere mavult Douſa P. *timetque Gallia hunc, timent Britanniæ*, ut Comata ſolum Gallia ſignificetur. Farnos, qui in codicibus Mstis reperit: *Hunc Galliæ timet* et *Britanniæ*, ita ut inter verbum timet, et id, quod ſequebatur, aliquid deeſſet, in libro *de Verſibus Comicis*, quem imperfectum reliquit, ingenioſe correxit *timetis*, adjuncta interrogandi nota; in cujus viri ſententiam lubentiſſime imus.

t) Recepimus *hoc malum*, quod egregie propoſuit Voſſius. Vulgo enim legitur *quid hunc, malum, fovetis?* ita ut *malum*, ſeorſum poſitum, notae indignationis vel abominationis inſerviat; ut Cic. Verr. III, 20. „Quae, malum, eſt iſta tanta audacia? In quibusdam

Niſi uncta devorare patrimonia? v)
Eone nomine, Imperator unice, x)
Socer generque perdidiſtis omnia? z)

vero EE. VV. ut Venet. Voſſ. etc. invenitur: *Quid hunc malum foveris?* In quo durior eſt h. l. omiſſio ſubſtantivi, ut prae hac lectione potius praeferenda ſit altera *hoc malum*.

v) *Uncta patrimonia* – i. e. opima, opipara. Quamobrem Mamurra ſaepius decoctor Formianus a poëta dicitur, v. c. epigr. XLIII, 5.

x) Omnes fere priscae editiones *urbis opulentiſſimæ*, et Voſſ. *opulentiſſime*, quae lectio admodum friget, nec jambórum modo reſpondet. Itaque Scalig. ex v. 11. acute reſcripſit *Imperator únice*, quod etiam epigr. LIV, 7. occurrit.

z) *Socer generque perdidiſtis omnia?* – Haec verba omnes, quos cognovimus, editores, praeter Voſſium, ad Caeſarem et Pompejum referunt, rectius vero Voſſ. ad Caeſarem et Mammuram. Nam bellum civile inter Caeſarem et Pompejum poëtam ſpectare non

non potuiſſe, ſupra ad not. p. declaravimus, et ſubita ad Pompejum apoſtrophe valde eſt inepta. *Socer generque* nullo pacto ſunt cognationis, ſed conſuetudinis et nequitiae nomina. Idem Catullus in epigr. LVII. (Cfr. infr. IX.) clarioribus verbis ſignificavit:

„Maculae pares utrisque (Caeſari et Mamurrae),
Morboſi pariter, gemelli utrique,
Uno in lectulo erudituli ambo:
Non hic, quam ille, magis vorax adulter.“ etc.

Ceterum Voſſius jam vidit, ab alio quodam poëta, cujus carmen eſt in Virgilii Catalectis num. 3., hunc verſum ad ſuam rem transferri:

„Socer beate, nec tibi, nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore preſſa rus abibit? Hei mihi
Ut ille verſus usquequaque pertinet,
Gener, ſocerque, perdidiſtis omnia.“

IX.

IX.

IN JUL. CAESAREM.

*) *Pulchre convenit improbis cinaedis*
Mamurrae pathicoque, Cæsarique. a)
Nec mirum: maculae pares utrisque,
Urbana altera, et ille Formiana,
Impressae

Non mirari se, ait poëta, quod inter Caesarem et Mamurram, homines vitiis cognatos, et lasciviа pares, necessitudo, et consuetudo intercedat.

Versuum genus hujus poëmatii est, ut Vulpius pag. XXXII. recte eos constituit, Phalaecium hendecasyllabum, quod e spondeo, dactylo, ac tribus trochaeis constat. Versu vero in septimo semel usus est Catullus pede cretico vel amphimacro, quod, ne quis in legendo haereat, monemus.

a) *Pulchre convenit — — Caesarique.* — Optime, inquit poëta, et Mamurra, pathicus ille, et Caesar, inter se consentiunt, et ad unum conspirant. *Pathicus* est is, qui muliebria patitur, ergo i. q. cinaedus.

*) V. Catull. epigr. LVII.

Impreſſae b) *reſident, nec eluentur.* c)
Morboſi pariter, gemelli utrique,
Uno in lectulo, erudituli ambo: d)

Non

b) *Impreſſam* ed. Venet.

c) *Nec mirum: macula — nec eluentur!* — Quod ita eſſe non miror, quum *uterque paribus*, iisque perpetuis, ſtigmatibus notatus ſit; niſi quod illa alteri (Caeſari) Romae, alteri (Mamurrae) Formiis, ubi natus erat, ſunt impoſita. Nam inde prima eorum flagitia exierunt, et vitae impudicae, luxurioſae atque voracis fama manavit.

d) *Morboſi — erudituli ambo:* — Comma, quod vulgo poſt vos, *uno in lectulo* ponitur, Meleag. fuſtulit; parum recte opinamur, quoniam verba illa vix commode jungi poſſunt; nam in lectulo aliquis fovetur, non eruditur. Itaque quum in notanda illorum ſimilitudine pluribus verbis poëta utatur, eos et amorum pravitate, et ſtudiorum affectatione pares dicit eſſe. *Morboſi pariter*, i. e. pari amoris cupiditate laborantes. *Uno in lectulo* ſc. *ὄντες*, quod Statius, fortaſſe, quoniam elipſin duram putabat, mutavit in verb. *unilectuli*. *Erudituli ambo*, quod uterque eruditionis ſtudium affectabat.

Non hic, quam ille, magis vorax adulter. e)
Rivales socii puellularum. f)
Pulchre convenit improbis cinædis.

e) Ed. Venet. *Magis vorax et adulter.* — Sensus est: Mamurra non majore, quam Caesar, adulterii vel gulae cupiditate tenetur.

f) Vulgo *rivales socii et puellularum.* Voss. *rivales socii et puellarum.* Statius putat, fortasse legendum esse: *non hic, quam ille, magis vorax adulter rivalis socius puellularum,* et Scaliger *socii puellularum* pro *socii puellularum.* Nihil vero opus est ita rescribere, quum lectio *rivales socii puellularum,* quam Scalig., Bipont., Doering. rel. receperunt, optimum sensum praebeat, ita quidem, ut verba *rivales socii* interpretatione conjungantur.

X.

IN JUL. CAESAREM.

*) *Othonis caput oppido pusillum,* a)

Vetti

„Longe salubrius ad h. l.," sic Vossius de hoc Catulli carmine judicat, „est consilium Mureti, qui ex praecepto Hippocratis vetat desperatis adhibere medicinam, quam Scaligeri, qui horum versuum expositione unum id in animo habuisse videtur, ut ostenderet, etiam Catullum ineptire potuisse. Relinquimus itaque hos versus, pro ut fere invenimus." Quam sententiam haud dubio lubens amplectetur, qui nil protulerit novi ad carminis explicationem. Nos quidem nihil posse proferre, ingenue profitemur. Nam historia de iis, quae huius carminis argu-

a) Hic versus una cum duobus, qui proxime sequuntur, in nonnullis VV. EE. carmini, quod in Catulli libro antecedit, falso adjectus est. Et post *oppido* in editt. Venet., Graev., Voss., Dous. etc. intrusum invenimus *est*, quod delendum putamus.

*) V. Catull. epigr. LIV.

Vetti b) *ruſtica* c) *ſemilauta crura*,

Sub-

argumentum faciunt, plane ſilet, ut omnia, quae de iis dici poſſint, etſi Vulpius, eumque ſequutus Doeringius, poëmatii aenigma optime ſolviſſe opinantur, ambigua incertaque ſint. Viri, qui occurrunt, penitus in tenebris jacent, et tantum ex carmine ipſo colligi poteſt, Caeſarem, eiusdemque ſocium Fuſicium cum illis hominibus obſcoenis, ſpurcis atque ſordidis, conſuetudinem habuiſſe. Quam ut fugiat, Caeſarem poëta hortatur, et omnia vitia enumerat, quae homines iſtos praecipue dedecore notent, ac conſuetudinis taedium moveant. Quod quidem ita ſe dicit optare, ut, ſi alia ipſius mens ſit, maximas ſibi iras, h. e. novam carminibus ſuis Caeſaris iram imprecetur.

Metri forma eadem eſt, quam in carmine antecedente cognovimus: ſunt enim verſus Phalaecii hendecaſyllabi, ex ſpondeo, dactylo, et tribus trochaeis conſtantes.

b) *At en ruſtice* edit. Venet. aliaeque, quae lectio inepta eſt. *Heri ruſtice* Muret., Stat., Gryph.

Heri

Subtile et leve peditum Libonis, d)

Si non omnia displicere vellem, e)

Tibi

Heri rustici Graev., Douf. vel. *Petti*, male correxit Scaliger. Quum vero in antiquis exemplaribus, teste Vossio, legatur *Etri* vel *Veteri*, optimo Voss. rescripsit *Vetti*.

c) *Rustica*. Sic rectius cum Vossio pro vulg. lectione *rustice* et *rustici* recepimus, quoniam id non, ut interpretes opinantur, ad Caesarem, sed ad Vetti crura referendum est.

d) Ed. Venet. *subtile, et leve peditum Liboni est*, male. *Peditum*, gr. πεδὴ (βδέσμα), est crepitus ventris.

e) *Si non* editt. Venet., Voss., Scalig., Vulp. etc. quae lectio nexui accommodatissima est. Nam *omnia* spectat ad vitia illa, quae antea singulatim erant descripta. Eum sensum non assequitur lectio Muret., Stat., Douf., Graev., *sed non*. Praeterea apte dicit Catullus *vellem* pro *velim*, quo significare videtur, se id, quod exoptet et poscat, exequuturum non esse.

Tibi et Fuficio f), *ſeni recocto*, g) *Iraſtare*

f) *Suffecio* ed. Venet., Muret., Gryph. *Fuffecio* Graev., Stan., Douſ., Vulp., etc. *Fuffitio* Scalig., Voſſ., Doering. Sed quum in Dione Caſſ. Φουφίκιος quidam occurrat, reſcripſimus *Fuficio*.

g) *Seni recocto* — — i. e. arcanis artibus, quales Medea adhibuiſſe fertur, reſtaurato et renovato. Nam vix dubium eſt, reſpici ad illam fabulam (Ovid. Met. VII, 297. ſeqq.), qua Medea Peliam ad juventutem recuperandam recoxiſſe dicitur. Sic occurrit in Petron. fragm. apud Diomed. *anus vino recocta*. Alii verbum *recoctus* eo ſenſu ceperunt, quo eſt in Horatii loco Sat. II. V. 55. *ſcriba ex quinque viro recoctus*, de homine in eumdem ſaepius magiſtratum ſuffecto. Quam Horatii explicationem recte praeivit Helen. Acro. Schol., qui ita ad h. l. ſcribit: „Recocti dicuntur ſcribae, qui ſaepius cum Proconſulibus ad Provincias miſſi ſqq. — — Quod ſi voluiſſent iterum magiſtratibus adparere, et fructus priores percipere, *cocti* dicebantur, quique ſaepius hoc factitabant, *recocti*.“ Noſtro quidem loco haec explica-

tio

Iraſcare h) *iterum meis jambis Immerentibus, tanice Imperator.*

tio colorari poſſet eo, quod Fuſicium Caeſaris gratia ad illos toties repetitos honores refectum putemus. Sed aculeus ut tangeret Caeſarem, opus erat ſignificatione non ſenectutis, qualem hoc loco reperimus, ſed magiſtratus, qui Caeſari debebatur.

h) *Iraſcere* omnes habent Editt., quae lectio, ut ſenſum praebeat, ſigno interrogationis efferenda eſt. Quamquam nè hunc quidem ſenſum probamus. Itaque reſcripſimus *iraſcare*, ut loco conciliatur ea ſententia, quam ſupra in argumento declaravimus.

XLV.

IN OCTAVIANUM.

Viden? ut cinædus orbem digito temperat? *)

Hic verſus jocularis ab iis, qui anteceſſerunt, eo differt, quod Octavianum non proprie laceſſit, ſed per parodiam, qua populus univerſus, teſte Sueton. l. l. ludorum quodam die, iſta verba in ſcena pronuntiata de Gallo, matris Deum tympana pulſante, et in Octaviani contumeliam accepit, et adſenſu maximo comprobavit. Cauſa hujus petulantiae fama eſſe videtur, quae ut de Caeſaris, ſic de Auguſti impudicitia manarat, qua primam juventutem infamaſſe dicebatur. Nam, quod ex Sueton. Octav. c. 1. conſtat, Sex. Pompejus ut effeminatum eum inſectatus eſt: M. Antonius adoptionem avunculi ſtupro meritum: item Lucius, Marci frater, quaſi pudicitiam delibatam a Caeſare, A. etiam Hirtio in Hiſpania CCC. millibus nummum ſubſtraverit ſolitusque ſit crura ſuburere nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret. Quare non miramur, populum, ſimulatque verſum, in quo *cinædus* no-

*) V. Sueton. Octav. c. 68.

notatus erat, audiiſſet, reſpexiſſe Octavianum, eumque in iſta deſcriptione agnoviſſe, quum illarum fuiſſet accuſationum teſtis.

Facetia hujus verſus vel aculeus in ambigua voc. *orbis* ſignificatione verſatur, quae a poëta de *tympano*, a populo vero de *orbis imperio* intelligebatur. Sed cur poëta tympanum *orbem* dixerit, eumque *digito temperari*, nemo interpretum Erneſtio ſubtilius expoſuit. Quamobrem ipſa eius verba integra reddamus. „Tympana Gallorum," ſcribit, „quos hic cinaedos poëta vocat, omninoque veterum, erant diſſimilia noſtris. Erant enim circuli, vel lignei, vel aenei, et quidem lati, inducta quaqua verſus pelle, et oram ambientibus circulis, ſeu tintinnabulis aeneis. Ita efficiebatur orbis pelliceus, cujus ſpeciem apud Boiſſardum, aliosque, in monimentis antiquis videre licet. Vide Voſſium ad Catull. p. 161. Erant tamen et leviora ſaltatricum et baccharum, ab altera tantum parte tecta, ut videre licet in picturis Herculanenſibus tab. XX., ubi et videndi Viri docti ad tab. XXI. Hunc orbem ſiniſtra manu tenebat pulſabant dextra, vel digito dextrae, interdum etiam bacillis."

Cete-

Ceterum verſus eſt jambicus trimeter vel ſenarius. Quamobrem cum Torr., Burm., Erneſt. et Oudend. *viden?* recepimus pro *videſne*, quod in omnibus Mſtis et editionibus vett., praeter Codd. Torrentii, legitur, ſed metrum corrumpit.

Viden? ut – Torrentius delevit *ut*, et interrogationis notam poſt verb. *viden?* retraxit, quod non ſenſui quidem, ſed codicibus repugnat. Burmannus in illa omiſſione Torrentium imitatus, praeterea conjunctivum poſuit *temperet*, addito interrogationis ſigno: qua ratione, qui ſenſus evadat, non ſatis perſpicimus.

Digito temperat – *Temperat* exhibent Codd. Torrent., Burm., Oudend., exceptis Memm., et omnes Edd. uſque ad Caſaubonum, qui correxit *temperet*, quod Burm., Piſcus, aliique recentiores receperunt. Occurrit in hac loquendi formula cum indicativus, tum ſubjunctivus, ſed ille, ut videtur, majore quadam cum vi de rebus, quae ipſae oculis praeſentes ſubjiciuntur. Sic Catull. LX., 98.

„Viden? faces aureas quatiunt comes.“

Catull. LXI., 8.

„Viden, ut perniciter exiluere?“

Stat. Theb. X., 807.

„Viden, ut jugulo conſumpſerit enſem.“

XII.
IN OCTAVIANUM.

Quum primum iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, ſexque deas:
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria:
Omnia ſe a terris tunc numina declinarunt:
Fugit et auratos Juppiter ipſe toros. *)

Haec diſticha interpretes varie et tentarunt, et explicarunt, et torſerunt. Imprimis difficultatem movet vocab. *iſtorum*, quod editores, quo referatur, incerti, corruptum judicarunt. Quamobrem Nic. Heinſius (ad Tacit. Ann. XIV, 21. itemque Adverſ. p. 753.), et Graevius primum verſum paulo violentius ſic immutarunt: *Quum mimum hiſtrorum* (i. e. mimicos hiſtriones) *conduxit menſa choragi.* Burmannus aut probandam lectionem Copeſ. et Exc. Cujac. *juſtum*, ita

*) V. Sueton. Octav. c. 70.

ita tamen, ut cum Casaubono *choragus* pro *choragio* per synizesin acciperetur, aut meliores conjectores exspectandos censuit. Quod quidem Ernestius eo vitare studuit, ut hypallagen admittendam existimaret, qua auctor inverterit constructionem legitimam, et proprie sic instituendam: *Ut primum istorum mensam conduxit choragus.* Nam „choragus," inquit, „conducit mensam, non autem isti conducunt choragum, sed mensam choragio locant." Haec vero hypallage plane est repudianda, quum ad ista interpretum commenta referatur, quibus locorum difficultatibus obscurorum temere occurri solet. Est enim valde absurdum putare, auctorem quemdam verborum constructionem de industria ita permutasse, ut plane obscurus, iisque, quae dicere voluerit, contrarius sensus evaderet. Itaque ingenue fatemur, difficultates, quae huius versus interpretationi obstant, tollere nos neque audere, neque posse; praesertim quum Ruhnkenius, vir sagacissimus, ita judicaverit, ut nullam ex hoc loco sententiam elici posse pronuntiaret. Si vero non temerarium est, ingenii ludum admittere, conjecturam liceat proponere, quae, si non evidentiae notas habeat, tamen obscuritati medebitur, locoque consentaneum sensum subjiciet. Legendum

dum enim cenſemus: *Quum Bromio ictorum conſpexit menſa choragum. Bromio icti* ſunt vino inebriati; ſicuti Horat. Satyr. II, I. 24. 25. de Milonio inebriato: *Ut ſemel icto acceſſit fervor capiti.* Praeterea Gesnerus in Theſaur. ſ. v. Jacchus I. p. 944. e Lucret. IV, 1162. affert: *Ictus ab Jaccho;* qui locus, ſi certa lectione niteretur, emendationi noſtrae maxime faveret; ſed in optimis editionibus ibi legitur: *Ceres eſt ipſa ab Jaccho.* Senſus igitur eſt: ſimulatque vino inebriatorum menſa conſpexit choragum i. e. Auguſtum, qui ſuis ſumptibus coenam dabat, ut Graecis dicuntur χορηγοὶ, qui ſuis ſumptibus ludos edunt. Haud dubie enim convivae prius coenarant et biberant, quam Octavianus, ut conſueverat, advenerat: quam quidem eius conſuetudinem clare teſtatur Sueton. Octav. 74. „Convivia nonnumquam et ſerius ibat, et maturius relinquebat: quum convivae et coenare inciperent prius, quam ille discumberet, et permanerent, digreſſo eo.“ Unde facile poteſt colligi, cur convivae, Auguſto adveniente, vino iam fuerint inebriati.

Malliam vel *Mauliam* v. 2. alii putant eſſe choragi uxorem; alii unam ex illis, quae deas imitatae

sint in convivio: illud non probabile, hoc ineptum, quod Mallia non sex, sed quinque poterat deas videre. Alii censent, domum esse Malliae, Pantomimae fortitan; alii arcem Capitolinam, sive quod locus, in quo data sit coena, Capitolii simulacrum expresserit, quod absurdum est, sive quod epulum in arce Capitolina actum fuerit. Quas interpretationes varias eo consilio omnes attulimus, ut quisque, quam vellet, eligeret atque sequeretur: quum, quaenam earum sit praeferenda, historia de hoc convivio plane tacente, incertum sit, neque testimoniis firmari possit. Nobis quidem, si sententiam dicere licet, nulla huius verbi explanatio magis placet, quam ea, qua *Mallia* pro *arce Capitolina* accipitur; sed exemplis demonstrare non possumus, illam arcem a propugnatore *Manlio*, quod non ineptum est, ita esse nominatam; neque eam sententiam probavit Rycquius in libro, quem *de Capitolio* scripsit, c. 46. Hoc vero probato *Mallia* praeclare respondet tum voc. *mensa*, tum vers. 5. et 6., ubi dii sedes suas deseruisse, et Jupiter auratos toros fugisse dicuntur, quod maxime de Capitolio valet.

Sexque deos vidit Mallia, sexque deas: — Deos illos duodecim duobus versibus significavit Ennius:

Juno

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Phoebi Caeſar mendacia ludit v. 3. — i. e. Auguſtus ipſum Phoebum mentitur, vel ludo ſimulat. Dictum eſt a Graecis Epict. 35. *παίζειν παλαιστάς.*

Nova divorum coenat adulteria v. 4. — h. e. illa deorum adulteria renovat in coena.

Verſ. 6. reſcripſimus cum Wolfio *toros*, quam lectionem tum multi codices Mſti habent, tum ante Wolfium jam defenderant Torrent., Graev., Oudend., Ruhnkenius: quum alii, in iis Burm. et Erneſt., *thronos* praeferant, ac de aurea Jovis in Capitolio ſede intelligant; ſed voc. *thronos* Auguſteo aevo et ante Plin. XXXV, 9. nemo Latinorum uſus eſſe videtur (cfr. Wolf. ad Sueton. l. l. Ac lectio *toros*, i. e. pulvinaria, h. l. eo magis commendatur, quo aptior eorum eſt mentio in convivio. Itaque quum dii ſceleſta illa adulteria inceſtosque ludos viderent, terras ſtatim deſeruerunt, pulvinaria ſua, ibi ſtrata, Jupiter fugit, omnesque aliorſum ſeſe declinarunt.

Ceterum hoc carmen, in quo, ut vidimus, ſimulata iſta *δωδεκαθεῶν* coena perſtringitur, magnae Octaviani libi-

lubidinis luculentum est documentum, ex quo Augustum gravissima exercentem adulteria cognoscimus, quorum multa exempla Sueton. Octav. c. 68. et 71., et Dio Cass. LIV, 19. attulerunt.

XIII.

IN OCTAVIANUM.

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

Servavit haec verba Sueton. Octav. c. 70., qui refert, ea proscriptionis tempore ad Augusti statuam fuisse adscripta. Nota est enim detestabilis illa et nefanda proscriptio, quam triumviri Antonius, Lepidus, atque Augustus A. V. C. 711. exercuerunt; tanto ista turpior, quanto est luculentius, eam non nisi ex inimicitiis, et turpi in aliena bona invadendi cupiditate esse exortam: quum triumviri pecuniis egerent, quibus militibus satisfacerent. *) Augustus, initio quidem lenior,

*) Παμπόλλων τε γὰρ χρημάτων δεόμενοι, καὶ οὐκ ἔχοντες ὁπόθεν αὖθις τὰς ἐπιθυμίας τῶν στρατιωτῶν ἀποπληρώσωσι, κοινήν τινα κατὰ τῶν πλουσίων ἔχθραν προσέθεντο. Dio Cass. XLVII, 6.

nior, mox omnes acerbitate superavit. „Namque illis," tradit Sueton. Octav. c. 27, „in multorum saepe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magno opere contendit, nec cui parceret, proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eumdemque collegam patris sui Octavii in aedilitate." Optimi clarissimique viri, in his Cicero, et ditissimi quique eo tempore trucidati, eorumque bona uxoribus ac liberis erepta sunt: quae facinora nefanda et scelesta planius exposuit Dio Cass. XLVII., 3 – 17. Ac tanta fuit triumvirorum pecuniae cupido, ut puerum quemdam in ephebos reciperent, quo facilius eum, tamquam virum, interficere possent. *) Multos praeterea, licet in proscriptionis tabula non designatos, tamen, si opibus polleront, morti tradiderunt; neque illos solum, multis qui pecuniis gaudebant, sed etiam eos, qui pretiosa vasa, pulcramque supellectilem possidebant, trucidarunt. Quamobrem quum Octavianus lautae et opiparae supellectilis, Corinthiorumque vasorum praecupidus, quosdam propter illas vitae delicias proscripsisse argueretur, idcirco verba, quae supra attulimus, ejus statuae adscripta sunt.

XIV.

*) Καὶ ἄλλα τε διὰ τοῦτο πολλὰ παρηνομήθη, καὶ παιδίσκον τινὰ ἐς ἐφήβους ἐσήγαγον, ἵν' ὡς εἰσάνδρας ἤδη τελῶν ἀποθάνῃ. Dio Cass. XLVII., 6.

XIV.

IN OCTAVIANUM.

Poſtquam bis claſſe victus naves perdidit,
*Aliquando ut vincat, ludit aſſidue aleam.**)

His duobus jambicis duplex Octaviani jactura, quam A. V. C. 716. bello Sicilienſi fecit, et nimium ſtudium, quo in aleae ludum ducebatur, facete notantur. Nam quum A. V. C. 716. inter Octavianum et Sex. Pompejum, Cn. Pomp. filium, qui tum Siciliam, totumque fere mare tenebat, bellum, usque ad a. 718. tractatum, exarſiſſet, primum navale proelium a Calviſio Sabino, Auguſti duce, ad Cumas infeliciter eſt pugnatum, pluresque naves amiſſae ſunt. Ac paulo poſt quum Pompejani Cumis diſcederent, et Sabinus cum Auguſto eos inſequeretur, ad Scyllaeum, Italiae promontorium, non modo magna exorta eſt tempeſtas, quae multas Octaviani naves et ſubmerſit et diſjecit, ſed etiam Pompejus, hoc audito, eum adortus eſt, et ita vicit, ut celeriter redire cogeretur. Quod malum poſtero die eo augebatur, quod tempeſtas, quae ſub noctem multo validior erat facta, omnes fere, quae ſupererant, naves

*) V. Sueton. Octav. c. 70.

navet in ſcopulos impulit planeque diruit. Qua ingenti clade iterum accepta, Octavianus ſpem Siciliam occupandi abjecit, et oram maritimam celeriter repetiit (V. Dio Caſſ. XLVIII. 46. 47. 48.). Quod quum populus audiiſſet, verſus iſti in illud, quod diximus, aleae ſtudium vulgati ſunt. Nam, Suetonio auctore, a teneris fere usque ad ſummam ſenectutem ſimpliciter et palam oblectamenti cauſa talis luſit: nec ſolum Decembri menſe, quo licebat talibus indulgere, ſed omnino quibuscunque diebus feſtis profeſtisque. Quod luculenter Octaviani epiſtola teſtatur, ubi ſcribit ad Tiberium: „Coenavi, mi Tiberi, cum iisdem. Acceſſerunt convivae, Vinicius et Silius pater. Inter coenam luſimus γεροντικῶς, et heri et hodie. Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat." Et rurſus aliis literis: „Nos, mi Tiberi, Quinquatrus ſatis jucunde egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit. Ad ſummam tamen perdidit non multum; ſed ex magnis detrimentis praeter ſpem paullatim retractatus eſt. Ego perdidi viginti millia nummûm, meo nomine: ſed quum effuſe in luſu liberalis fuiſſem,

ut,

ut soleo plerumque. Nam si, quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem, quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad caelestem gloriam efferet.“ Scripsit ad filiam: „Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter coenam, vel talis, vel par impar ludere.“ Vid. Sueton. Octav. c. 71.

Quod reliquum est in Politian. et Medic. tert., itemque in aliquot Edd. reperitur *alea ludere* pro *aleam*. Utrumque quoniam occurrit, ut ex multis exemplis, a Burmanno et Oudendorpio collatis, apparet, h. l. in plurium Codicum testimonio acquiescendum videtur.

XV.

IN OCTAVIANUM.

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τέρψιν παιδία. *)

Spectat hic jambicus versus ad nobile illud matrimonium, quo Augustus A. V. C. 716. Liviam, Clau-

iii

*) V. Sueton. Claud. c. 1. et cfr. Dio. Cass. XLVIII., 15.

dii Tiberii Neronis uxorem, quamvis sex jam menses gravidam, sibi junxerat (Suetor. August. c. 62.): quo tempore Nero ita abjecte egit, ut dimissam uxorem, tamquam filiam, dotaret, ejusque convivio nuptiali adesset, auctor vel testis multorum jocorum, quos ibi petulantia fudit (conf. Dio Cass. XLVIII., 49.). Itaque quum Livia tertio mense post Claudium Drusum Neronem, Claudii Caesaris patrem, peperisset, essetque suspicio, filium ex vitrico per adulterii consuetudinem esse procreatum: festivus iste versus, quem posuimus, vulgatus est, qui mox in proverbium abiit. Id enim Dio. Cass. l. l. sic refert: „Ὁ δ' οὖν ὅμιλος ἄλλά τε ἐπὶ τούτῳ πολλὰ διεθρύλλει, καὶ τοῖς ἐυτυχοῦσι τρίμηνα παιδία γεννᾶσθαι ἔλεγεν, ὥστε καὶ ἐς παροιμίαν τὸ ἔπος προχωρῆσαι."

In quibusdam Suetonii Codicibus hic versus deformatus est. Nam reperitur τοῖς κοινολεχίσιν; in Viterb. ἐυτοχοῦσι; et in Apostol. Prov. Cent. XVIII., 96. τοῖς ἐυτυχοῦσι τρίμην' ἐστὶ παιδία. Quae vitiosae lectiones Dionis auctoritate satis refutantur.

XVI.

XVI.

IN TIBERIUM.

Non es eques! Quare? non sunt tibi millia centum:
Omnia si quaeras, et Rhodos exilium est.

Suetonius ludicros, qui exstant, de Tiberio versus in ejus vit. c. 59. ita congessit, ut nihil diceret de tempore singularibusque occasionibus, quibus exierint. Neque enim, quod plurimi interpretes jam recte senserunt, versiculi illi, quos congessit, uno eodemque fuerunt comprehensi epigrammate, neque simul promulgati, sed diverso tempore, diversis et occasionibus et auctoribus: quod Tacitus Ann. I., 72. sic firmat: „Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata, in saevitiam, superbiamque ejus, et discordem cum matre animum.“ Nam quum hujusmodi districha vulgo certa facinora et vitia eorum tangant, in quos promulgata sunt; etiam illa, quae de Tiberio reperiuntur, ad certa quaedam ejus facta spectare, apparet: quae investigare aeque necessarium ac difficile est. Necessitatem ipsa versuum illorum recte explicandorum ratio ostendit; difficultatem efficit silentium scriptorum,

qui

qui in vita Tiberii de singulis illis rebus nihil tradiderunt. Itaque illud distichon, quod supra apposuimus, contra Suetonii ordinem primum scripsimus, quum ante Tiberii principatum, eo tempore, quo Rhodi in exilio versabatur, compositum esse videatur. Sed quam ad rem hi versus spectent, non nisi conjecturis ex carmine ipso collectis, erui potest, quum de spatio illo octo annorum, quod inde ab A. V. C. 747. exul exegit, scriptores perpauca referant. Id vero satis est notum, detestabiles ac nefandos Tiberii mores, animum saevum et atrocem, ingentem ac paene incredibilem superbiam, diffidentiam, atque impudicitiam eum tum, insulae ejusdem incolis maxime invisum, tum omnibus fere in dies magis ac magis adeo odiosum reddidisse, ut imagines ejus et statuas Resainenses in Mesopotamia (vulgo Nemausenses) subverterint; ac familiari quodam convivio mentione ejus orta, extiterit, qui Cajo, Tiberii privigno, polliceretur, *confestim se, si juberet, Rhodum navigaturum, caputque exulis relaturum* (v. Sueton. Tib. c. 13.). In tanta igitur ejus superbia, quid credibilius est, quam ipsi saepius intercessisse cum principibus Rhodi viris certamen et aemulationem: quibus quum oblitus exilii sese praeferre auderet, quippe Augusti filium et equitem Romanum,

per

per ejusmodi occasionem facti videntur illi versus, quibus ista ejus superbia castigatur. Scriptor illorum, quisquis fuit, id videtur voluisse: Quid dignitatem tuam temere ostentas, Tiberi? Nec eques Romanus es, qui ne centum quidem millia aeris pro legitimis quadringentis possideas, neque, ut amplius dicam, civis Romanus, siquidem exul civitatem perdidisti.

Pro *non es eques* in Cod. Medic. pr. reperitur *omnis eques*, quod falsum est: neque Lipsio adstipulamur, qui, ut Beroaldus in Codice suo invenerat, legendum proposuit: *quater et non sunt tibi millia centum.*

XVII.
IN TIBERIUM.

Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest. *)

Satis patet ex ipso versuum argumento, eos scriptos esse sub Tiberii pricipatu, eo quidem tempore, quo cum matre inimicitias exercebat, nec, ut falso opi-

*) V. Sueton. Tiber. c. 59.

opinantur interpretes, quo in exilio versabatur, quum immitis eius in matrem ac discors animus iis notetur, qui adepto imperio jam influxit, mox in dies luculentius apparuit. Liviam enim matrem valde est gravatus, velut partes sibi aequas potentiae tanto lubentius vindicantem, quanto plus Augusto incolumi potuerat, annisque jam gravior erat, quantoque apertius ipsa se Tiberio imperium dedisse ferebat. Itaque ne consiliis ejus regi videretur, omnes cum ea sermones studiose vitavit, Patrum adulationes peraegre tulit, frequenterque eam admonuit, *majoribus, nec feminae conuenientibus, negotiis abstineret.* Nam quum A. V. C. 767. alii eam *parentem*, alii *matrem patriae* appellandam, plerique, ut nomini Caesaris adscriberetur *Juliae filius*, censerent: ille, *moderandos feminarum honores*, dictitans, *eadem se temperantia usurum in his, quae sibi tribuerentur*, asseveravit. Atque anxius invidia, et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est; aramque adoptionis, et alia prohibuit: inter quae prae ceteris Livia perindigne tulit, quod, quum statuam quamdam Augusto suis sumptibus dedicare, ac propterea senatui et equitibus, eorumque uxoribus convivium parare statuisset, Tiberius neque dedicationem ei, nisi

S. Cto

S. Cto conceſſam, neque epulum iſtis dare, permiſit (cfr. Dio. Caſſ. LVII, 12. Sueton. Tib. c. 50. Tacit. Ann. I, 18.). Nihil vero Liviae vehementius doluit, acerbiusque viſum eſt, quam quod, quum ſaepius filio inſtitiſſet, ut quemdam, civitate donatum, in decurias adlegeret, ille contumaciter negavit, alia ſe eum conditione adlecturum, quam ſi pateretur, adſcribi albo, *extortum id ſibi a matre.* Qua re illa ita eſt commota, ut veteres quosdam ad ſe Auguſti codicillos, de acerbitate et intolerantia morum filii, e ſacrario proferret, atque recitaret (v. Sueton. Tib. c. 51.). Quae res effecit, quum et Livia filii in repulſa pertinaciam, et Tiberius codicillos a matre ſubdole cuſtoditos, infeſtoque nunc animo recitatos, indignarentur, ut animi eorum, antea jam ſibi infenſi, jam apertam ſimultatem exercerent. Idque occaſionem hoc, quod ſupra memoravimus, vulgandi diſtichon, videtur praebuiſſe. Nam quum ſine dubio nonnulli, praſertim civitatis principes, hanc Tiberii diritatem in matrem atque contumaciam exprobarent: haud ſcio, an ille, ad facinus iſtud excuſandum, aut ſaevum ſibique infeſtum matris animum protenderit, aut reconciliationem ſimularit, a Livia, cauſae, qua ille commovebatur, haud inſcia, repudiatam; eamdem ob rem matris in ſe lentitudinem apud

quos-

quosdam accuſarit. Quam explicationem equidem praeferam rationi iſtorum, qui verſus illos *univerſe* in Tiberii ſaevitiam duritatemque vulgatos rati, eorum acumen in hoc quaerunt: ſi nec mater te, qui unicus (μονότατος), mortuo Druſo, eius filius es, amare poteſt, revera mortalium poteſt nullus.

XVIII.
IN TIBERIUM.

Aurea mutaſti Saturni ſecula, Caeſar:
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Haud dubie hoc diſtichon, quod legitur Sueton. Tib. c. 59., tantoque dignius noſtra eſt memoria, quanto aptius ad haec tantis rerum viciſſitudinibus, tamque communi Germaniae calamitate perturbata tempora accommodatur, tum vulgatum eſt, quum reductis priſtino quidem nomine, ſed alia multoque graviore vi, majeſtatis judiciis tot viri clariſſimi ſuppliciis aliisque cruciamentis adficiebantur. Antea enim facta arguebantur, dicta impune erant: ſed Tiberius, conſultante Pomponio

Macro Praetore, an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse, respondit (Tacit. Ann. I., 72.). Atrocissime igitur ea judicia exercuit, tanto magis foeda atque timenda, quanto minus certis criminum finibus continebantur. Omnes enim, qui vel Augustum, vel ipsum Tiberium, vel Liviam, factis aut verbis offenderant, judicio illi tradebantur. Atque quum accusatoribus subditisque testibus damnatorum bona, quid? quod munera atque honores et promitterentur, et tribuerentur, iis judiciis nihil potest cogitari crudelius, ac cuique bono, in quo quaedam penitus morientis libertatis vestigia reservata erant, periculosius. Exempla huius crudelitatis reperiuntur apud Sueton. Tib. c. 58. Tacit. Ann. I., 73. 74. Dio. Cass. LVII., 19. Senec. de benef. III., 26. Philostrat. vit. Appollon. I., 11. Quae exempla si quis animo reputet, facile exputabit, quam merito Augusti imperium his versibus per *aurea Saturni secula*, sicut apud Virgil. Ecl. IV., 6. per *Saturnia regna*, designetur. Nam felicissima merito dicuntur tempora, quae istis periculis vel prorsus vacabant, vel, quod extremis Augusti annis accidisse fertur, iis minus obnoxia erant.

XIX.

XIX.

IN TIBERIUM.

Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum. *)

Magna enim, id quod satis constat, vini lubido in Tiberio et juvene et aliquamdiu etiam principe infuit: quamobrem jam in castris, tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio, *Biberius*; pro Claudio, *Caldius*; pro Nerone, *Mero* vocabatur. **)

 Nam

*) V. Sueton. Tib. c. 59.

**) Juvat hoc de re adfarre veteris poetae versus, quos inter schedas quasdam Mss. Goldasti reperit, et in notis ad Suetonii Tib. c. 42. apposuit Burmannus:

Ternos vetusti congios Falerni,
Uno die, convivioque peractis,
Tubos per amplos viscerum refundens
Hausit, potentum Romuli nepotum
Frenator audax, arbiterque regum,
Jovis tonantis armiger minando,
Bacchi pluentis cantharis madendo,
Late patentis Imperator orbis,

Late

Nam primis imperii annis quum graves ac severas de luxu leges promulgaret, vestibus pretiosis uti vetaret, ac publicos mores corrigere studeret, saepius ab ista cupiditate sese abstinere non potuit: ut e. gr. cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumeret, eosque jucundissimos sibi ac omnium horarum amicos appellaret. Ignotissimum quaesturae candidatum nobilissimis antepofuit, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram; ac novum officium instituit a voluptatibus, praeposito T. Caesonio Prisco, equite Romano (v. Sueton. Tib. c. 42.). At quum ad sumptus coërcendos ludorum ac munerum impensas diminueret: mercedibus scenicorum recisis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis; supellectili atque vasis, quorum pretium ad immensum exarserat, modum adhibendum, annonamque macelli temperandam conferet, et popinas gaudeasque usque eo inhibendi; ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent, aedilibus negotium daret: in coenando ac potando paulo parcior, mox parcissimus tenacissimusque erat. Atqui quo luculentius parsimoniae documentum daret,

Late aestuantis irrigator alvi;
Exinde plebs Quiritium vocavit,
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

daret, quod aliis esset exemplum, solemnibus ipse coenis pridiana saepius de semesa opsonia apposuit, dimidiatumque aliquando aprum: affirmans, omnia illum eadem habere, quae totum. (Sueton. Tib. c. 34. Dio Cass. LVII., 15. 16.). Quae parsimoniae leges quum genio indulgere vetarent, ideoque multis permolestae essent: facetus aliquis, vel legibus istis commotus, versus, quos supra attulimus, edidisse videtur.

Ceterum male in posterioribus Graevii editionibus legitur pro: quia jam sitit, *qui jam sitit* etc., contra omnes scriptos et editos. *Quia tam sitit* in Catal. Pith. p. 79. Burm. —

Tam bibit hunc avide — In Medic. pr. *tunc bibit hic avide*. Pal. pr. *avidus*. Gruterus perperam conjecit *bibet*, ut futura significarentur mala, quod Oudend. placuisse videtur: nam nulla huius mutationis est causa, quum versus nostri neque futura, sed praesentia denuncient mala, neque ullius codicis Msti auctoritas accedat.

XX.

XX.

IN TIBERIUM.

Adſpice Felicem ſibi, non tibi, Romule, Sullam:
Et Marium, ſi vis, adſpice, ſed reducem:
Nec non Antoni, civilia bella moventis,
Nec ſemel infectas adſpice caede manus:
Et dic, Roma perit: regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio. *)

Tiberius jam inde ab imperii primordiis ingentem regnandi lubidinem et maxime trucem inhumanumque animum, in dies violentius intumeſcentem, prodidit. Quod quidem, alia ut miſſa faciamus, ex ratione ſatis apparet, qua tum judicia majeſtatis reſtituit et exercuit, tum in Libonem Druſum, juvenem improvidum et facilem inanibus, tum in Mathematicos Magosque (cfr. Tacit. Ann. II., 27 — 33.), tum prae ceteris in Germanicum egit, cujus immaturae et optimo cuique luctuoſae mortis cauſa Tiberius per Piſonem, Syriae legatum, fuiſſe dicebatur (v. Sueton Calig. c. 1. 2.). In quos

*) V. Sueton. Tib. c. 59.

quos priores principatus Tiberiani annos, et fortasse in illud tempus, quo Germanicus mortem obiit, nostrum, quod citavimus, carmen cadere videtur; quod Caesarem ob nimiam illam asperitatem atque crudelitatem cum tribus patriae olim inimicissimis atque periculosissimis viris, Sulla, Mario et Antonio, comparat. Qui, simulatque ab exilio Romam redierant, violenter regnarunt, summosque viros, qui pro alterius parte steterant, crudeliter trucidarunt. Nota est enim horum exulum historia. Marius simul cum Sulpicio a Sulla proscriptus, A. V. C. 667. Romam est regressus, omnesque, qui Sullanae parti faverant, severissime cecidit. Sullam ipsum absentem proscripsit. Qui de iis, quae acta erant, per uxorem et liberos certior factus, urbem statim repetit A. V. C. 671.; in qua multi proscriptorum libelli propulgati, inceptaeque caedes factae sunt (cfr. Appian. B. Civ. I., 95—99.). Atque hostibus, qui supererant, captis aut fugatis, Sulla sese *Felicem*, et Pompeium *Magnum* appellavit (Plut. Pompej. c. 8. 13.). Denique Antonius, cujus *manus cruore saepius inficere* memorantur, A. V. C. 711., suadente Cicerone (v. Cic. Phil. V. c. 8.), hostis patriae est declaratus, quum provincia decedere nollet. Sed eodem anno cum Octaviano reconciliatus, et nota illo triumviratu con-

junctus



[illegible] Medic. sec.
[illegible] Hein-
[illegible] *moventis*

[illegible] Medic. pr.
[illegible] judica-
[illegible] *enit*; sed
[illegible] pos huius
[illegible]

junctus, Romam reverſus eſt, eamque detaſtabili ista proſcriptione, quam ſupr. XII. memoravimus, auctoribus Antonio, Octaviano et Lepido ita vaſtavit, ut grandi ſaevitia atque ſuperbia optimos fere quoscunque Romanos trucidaret.

Hos vero versus ſtomachoſiores Tiberium maxime dolenter tuliſſe, inde ſuſpicari licet, quod, exulem ſe nominari, aegerrime ſemper ferebat. Nam Zenonem quemdam, quum eum, exquiſitius ſermocinantem, interrogaſſet, *quaenam illa tam moleſta dialectos eſſet*, illeque reſpondiſſet, *Doridem*, relegaſſe Cinariam traditur; exprobratum ſibi ratus veterem ſeceſſum, quod Dorice Rhodii loquantur (Sueton. Tib. c. 56.).

Ceterum quod Tiberius v. 1. *Romulus* dicitur, id eo modo accipiendum eſt, quem ſupra VIII., 5. explicavimus.

Et Marium, ſi vis, adſpice v. 2. — Pro illo *ſi vis*, quod frigidum ſit, legendum propoſuit Graevius *Et Marium in vivis*: i. e. Marium novum, tamquam redivivum in Tiberii ſaevitia. Quam conjecturam, nova difficultate laborantem, Burmannus jam egregie confutavit.

Nec

Nec non — — — moventis v. 3. — In Medic. sec. inepte legitur *ne non*: neque probanda est Nic. Heinsii conjectura, qua *foventes* sc. manus pro *moventis* legere maluit.

Regnabit sanguine multo v. 5. — Cod. Medic. pr. et tert. *regnavit*, quod non temere spernendum judicavit Oudendorpius ob sequens praeteritum *venit*; sed prave, dum, perfecto posito, facetia atque lepos huius carminis Caesarem minus tangere videntur.

XXI.

IN NERONEM.

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι. *)

Ab omnibus fere Suetonii editoribus hunc versiculo is, qui proxime sequitur, aliusque auctoris esse videtur, falsе additur. Xiphilinus enim l. l. hunc solum, quem apposuimus, ex Dione Cassio versum refert, clarisque verbis affirmat: „Ἦν μὲν καὶ ἀναγινώσκειν πολλαχοῦ ὁμοίως γεγραμμένον.“ Atque hoc recitato versu addit: „Audiebatur etiam passim: Νέρων τὴν μητέρα ἀνεχρήσατο;“ quae verba sequentis sensui versiculi satis respondent atque indicant, utrumque versum neque ab uno eodemque auctore simul exiisse, nec publicis locis simul affixum fuisse. Quamobrem duos illos versus, prout par erat, seiunximus; quae quidem separatio jam Oudendorpio placuit, sed alia, eaque inepta, ratione ducto, quod metrum eam postulet. Est autem uterque Senarius jambicus.

Producuntur hoc versu tres matricidae, e quibus Nero longe est turpissimus, pessimusque: quod etiam vete-

*) V. Xiphilin. epit. Dion. Cass. LXI, 16. Sueton. Ner. c. 39.

veteres, eius crimen judicantes, senserunt. Philostrat. Apollon. IV, 38. „Εἰ δὲ καὶ ταῦτα γέγονεν ἐπ' Ὀρέστῃ καὶ Ἀλκμαίωνι, ἀλλ' ἐκείνοις σχῆμα τοῦ ἔργου πατέρες ἦσαν." κ. τ. λ. Juven. VIII., 215.

„Par Agamemnonidae crimen; sed causa facit rem
Dissimilem sqq."

Orestes enim, Agamemnonis filius, matrem Clytemnestram dolo occidit, ut patris mortem vindicaret, et Alcmaeon matrem Eriphylen necavit. Sed multo detestabilius est *Neronis* matricidium. Is matrem Agrippinam, quamquam ab ea ad imperium evectus, tamen mox non modo omni et honore et potestate privavit, abductaque militum et Germanorum statione, contubernio ac palatio expulit, sed etiam foedissimo modo occidit. Nam quum veneno eam necare ter frustra tentasset; consiliumque per conscios proditum esset, quo lacunaria ita erant parata, ut noctu super dormientem matrem laxata machina deciderent: navem, quae auctore Aniceto quodam per se dissolveretur, exstrui jussit, cujus vel naufragio, vel camerae ruina illa periret. Atque nave ita, ut jussum erat, aedificata, reconciliationem simulans, in Campaniam est profectus, quum Romae nefandum illud facinus exsequi non auderet;

matrem.

matremque jucundissimis literis Bajas, ut solemnia ibi Quinquatruum simul celebrarent, evocavit. Quo quum venisset, tum amicissime eam accepit, summaque reverentia et amore amplexatus est, tum sumptuosissimum convivium instituit. Unde quum Agrippina post coenam, quae ad mediam noctem protracta erat, Baulos, villam ad Bajas sitam, satis secura reverteretur: loco corrupti navigii, quo advecta, quodque auctore Nerone velut fortuito concursu confracta erat, ancipitem istam ei navem obtulit; et quum digrederetur, peramanter eam amplexus, papillas eius, oculos et manus osculatus est, dixitque: *Vale, ac salva sis, dilectissima mater; nam in tua vita posita est mea, perque te regno;* *) sed anxius, et incertus de facinoris exitu, reliquam noctem summa cum trepidatione vigilavit. Quamquam vero navis, sicuti convenerant, dissoluta erat, materque in mare ceciderat, salva tamen ac integra nando periculo evasit: quod Xiphilinus ex Dione Cassio satis diserte narrat. „Ἀλλ'," scribit LXI., 13, „(οὐ γὰρ ἤνεγκεν ἡ θάλασσα τὴν μέλλουσαν ἐπ' αὐτῇ τραγῳδίαν ἔσεσθαι, οὐδ' ὑπέμεινε τὴν ψευδολογίαν τῆς ἀνοσιουργίας ἀναδέξασθαι) διελύθη μὲν ἡ ναῦς, καὶ ἡ Ἀγριππίνα ἐς τὸ

*) Μήτέρ τε ἐῤῥωσό μοι καὶ ὑγίαινε· ἐν γὰρ σοὶ καὶ ἐγὼ ζῶ, καὶ διὰ σὲ βασιλεύω. Xiphilin. LXI., 13.

τὸ ὕδωρ ἐξέπεσεν. οὐ μέντοι καὶ ἀπέθανεν, ἀλλὰ [καίτοι καὶ ἐν σκότῳ καὶ διακορὴς μέθης οὖσα, τῶν τε ναυτῶν ταῖς κώπαις ἐπ' αὐτὴν χρωμένων, ὥστε καὶ Ἀκερωνίαν Πώλλαν τὴν σύμπλουν αὐτῆς ἀποκτεῖναι) δεισώθη" At dum Nero, hoc audito, inops consilii diu trepidabat, Lucius Agerinus, Agrippinae libertus, salvam et incolumem esse matrem magno cum gaudio nuntians, ad eum venit; quem, abjecto clam juxta eum pugione, ut percussorem ab illa sibi subornatum, arripi constringique jussit, ac matrem per Anicetum occidi; quasi denudatum crimen voluntaria morte vitasset. Quem cum sociis venientem ut vidit Agrippina, repente de lecto surrexit, ac veste discissa, retectoque utero, acclamavit: *Hunc percute, Anicete, hunc percute, quoniam peperit Neronem* *) (cfr. Sueton. Ner. c. 34. Tacit. XIV., 2—10. Xiphilin. LXI., 12. 13.). Cui matricidio ipsa caede longe turpius atrociusque facinus adjecit. Nam ad interfectae matris cadaver videndum accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta, bibisse (Sueton. l. l.); quid? quod exclamasse dicitur; *Nesciebam, me tam pulcram matrem habere.* **)

Quum

*) Παῖε ταύτην, Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν. Xiphilin. l. supra l.

**) Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον. Xiphilin. LXI., 14.

Quum vero, matre interfecta, urbem rediisset, cives eum palam quidem officiose exceperunt ac benigne salutarunt, sed privatim conviciis vehementissimis lacerarunt. Nam eo tempore tum culeum statuae eius noctu circumdederunt, quo significaretur, Neronem, dignum esse, qui in culeum conjiceretur, quae poena erat parricidarum: tum puerulum in foro exposuerunt, adligata ad eum tabula, in qua scriptum erat: „*Non te collo, ne matrem interficias*" (Xiphilin. LXI., 16.): tum multi versus in eum joculares innotuerunt, quibus noster, supra positus, est accensendus; quorumque alii, qui deinceps sequentur, apud Suetonium leguntur.

Praeterea nescimus, an sententiam interpretum tueri difficilius sit, qua hic versus sors est Apollinea, quae in Dialogo de Nerone, qui Luciano tribuitur, T. III., c. 10. p. 642 sqq. reperitur: „*Καί τοι τοῦ Πυθίου καταλέξαντος αὐτὸν εἰς τοὺς Ὀρέστας τε καὶ Ἀλκμαίωνας, οἷς τὸ μητροκτονῆσαι, καὶ λόγον τινὰ εὐκλείας ἔδωκεν, ἐπειδὴ πατρὶ ἐτιμώρησαν:*" quod Apollinis oraculum, testante ibidem incerto istius Dialogi auctore, Neronem ita offendisse dicitur, ut os antri voluerit obturare. Nam Xiphilinus, qui L. LXIII., c. 14. de oraculo isto agit, de hac sorte nihil memorat, tantumque tradit: „*Τοῦ δὲ δὴ Ἀπόλλωνος, [εἴτ' οὖν ἀγανακτήσας*

ὅτι

ὅτι λυπηρόν τινα προεῖπεν αὐτῷ, εἴτε καὶ ἄλλως μανεὶς] τήν τε χώραν τὴν Κιρρέων ἀφείλετο, καὶ στρατιώταις ἔδωκε, καὶ τὸ μάντειον κατέλυσεν, ἀνθρώπους ἐς τὸ στόμιον, ἐξ οὗ τὸ ἱερὸν πνεῦμα ἀναδίδοται, φράξας: sed in illo Dialogo nulla occurrunt λυπηρά, quae Apollo Neroni praedixerit. Quam ob causam hunc versum potius accensendum putamus iis dictériis, quae Suetonius vit. Ner. c. 39. memoriae mandavit; praesertim quum illo tempore, qui de Caesaris facinore loquuli sunt, impiissima exempla Orestis et Alcmaeonis frequentasse videantur; quid? quod ipse Caesar, id quod ex Suetonio Ner. c. 21. manifestum est, *Orestem matricidam* lubentissime cantaverit. (Conf. Reimarus ad Dionem LXII, 26. §. 110. et LXIII, 14. §. 7.).

Ἀλκμεωνίδην — Ἀλκμαίων Edd. Rom. aliaeque, Ἀλκμέων Medic. sed corrupte. Quam immutationem librarii propterea induxisse videntur, quia metro male metuebant.

XXII.

XXII.

IN NERONEM.

Νεάνυμφον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἐπέστρωσεν *)

Duplex hoc versu Neronis facinus notatur, matris stuprum ejusdemque nefaria, de qua antea XXI., caedes. Probamus enim νεόνυμφον, quam lectionem tum multorum codicum Mstorum, tum optimarum Suetonii editionum auctoritas tuetur. Nam refertur ad matrem, in cujus incestu notando scriptores consentiunt. Tradit enim Xiphilinus LXI.: 14.: „Agrippinam, ne forte Nero Sabinam uxorem duceret, ad tantum tamque atrox facinus esse progressam, ut lubidinosissimo adspectu amantissimisque oculis eius animum capere studuerit.“ Et Suetonius Ner. c. 28.: „Nam matris concubitum appetisse, et ab obtrectatoribus eius, ne fetox et impotens mulier et hoc genere gratiae praevaleret, deterritum, nemo dubitavit; utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinae simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam, quoties lectica cum matre veheretur, lubidinatum inceste, ac maculis vestis proditum affir-

*) Sueton. Ner. c. 39.

affirmant.“ Itaque neque dubia erat, neque incerta iſtius inceſtus fama, ad quem etiam noſter verſus eſt referendus, ſive νεόνυμφος legatur, ſeu, ut aliis placuit, νεόνυμφον; quamquam hoc poſterius propterea minus placet, quod μητέρι jam adjunctum eſt illud epitheton. Lectionem autem νεόψηφον, „quaſi novo ſuffragii genere matrem occiderit Nero nave illa ſutili,“ quae Turnebo, Graevio rel. placuit, abſurdam eſſe, per ſe intelligitur. Ac praeterea Agrippina non iſta nave, ſed ferro periit.

Quod reliquum eſt, quum ſenarius quoque ultima ſede jambum requirat, d'Orvillii, Oudendorpii atque Erneſtii ſententiae lubenter accedimus, qua Νέρων in fine eſt ponendus.

XXIII.
IN NERONEM.

Quis negat, Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. *)

Huic diſticho, quod Neronem matricidam denotat, ſimillimus eſt de ultimo Aeneadum matricida verſus,

*) V. Sueton. Ner. c. 39.

quem, quasi e Sibyllinis carminibus, cecinerunt alii, testante Xiphilin. LXII., 18.:

Ἔσχατος Αἰνειαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.

Nero enim, id quod satis patet, ā gente Julia, quae de Aenea deducitur, profectus, ultimus Aeneadum, qui Romae regnabant, erat princeps.

Ambiguitas, qua verbum *tollere* h. l. tum *interficere*, tum *suscipere* significat, facillime perspicitur. Nam matrem occidit Nero, de qua supra XXI. plura dicta sunt; et Aeneas patrem suum, exorto Troiae incendio, humeris suscepit atque ex urbe exportavit. Res satis nota est ex Virgil. Aen. II., 707 sqq. Senec. de Benef. III., 37. al.

Ceterum Oudendorpius pro *quis negat* cum Torrentio mavult *quis neget*, adversantibus Codicibus.

XXIV.

XXIV.

IN NERONEM.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Paean; ille ἑκατηβελέτης. *)

Respicit hoc distichon ignominiosam istam cladem, quam decimo Neronis imperii anno legiones Romanae, Luc. Caesonio Paeto duce, in Armenia per Vologaesum, Parthorum regem, acceperant. De qua clade ita scribit Suetonius l. l. „Accesserunt tantis ex principe malis probrisque quaedam et fortuita: ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub jugum missis, aegreque Syria retenta." Tacit. Ann. XVI., 17. „Addidit rumor, sub jugum missas legiones, et alia ex rebus infaustis: quorum simulacrum ab Armenis usurpatum est." Planius hanc stragem refert Xiphilinus L. LXII., c. 20. 21. „Νέρων Λούκιον Σένιον Παῖτον ἐς τὴν Καππαδοκίαν, ὅπως μηδὲν περὶ τὴν Ἀρμενίαν νεοχμωθῇ, ἀπέστειλεν. Ὁ δὲ Οὐολόγαισος τοῖς Τιγρανοκέρτοις προσέμιξε, καὶ τὸν Παῖτον ἐπιβοηθήσαντα σφίσιν ἀπεώσατο· φεῦγοντα δὲ

 αὐτὸν

*) V. Sueton. Ner. c. 39.

αὐτὸν ἐπιδιώξας, τήν τε ἐπὶ τοῦ Ταύρου καταλείφθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ φρουρὰν ἐξέκοψε, καὶ ἐκεῖνον ἐς Ῥάνδειαν, πρὸς τῷ Ἀρσανίᾳ ποταμῷ οὖσαν, κατέκλεισε· κἂν ἀπανέστη μηδὲν περανάς, (μήτε γὰρ πελάσαι πῃ τῷ ἐρύματι, ἅτε χωρὶς ὁπλιτῶν ὤν, ἐδύνατο, μήτε τῆς τροφῆς, ἄλλως τε καὶ πλήθει πολλῷ, ἄνευ παρασκευῆς σιτίων ἀφιγμένος, εὐπόρει) εἰ μὴ ὁ Παῖτος τήν τε τοξείαν αὐτοῦ, καὶ ἐς αὐτὸ τὸ στρατόπεδον ἀφικνουμένην, καὶ τὴν ἵππον πανταχοῦ φαινομένην δείσας, λόγους τε ὑπὲρ σπονδῶν αὐτῷ ἔπεμψε, καὶ ὡμολόγησε, καὶ ὤμοσεν αὐτός τε τὴν Ἀρμενίαν ἅπασαν ἐκλείψειν, καὶ τὸν Νέρωνα τῷ Τηριδάτῃ αὐτὴν δώσειν. κ. τ. λ." Quo pacto Vologaesus contentus Romanos dimisit, et Nero pactionem diligenter servavit. Quamobrem falsum esse videtur, quod tradit Suetonius, legiones tunc sub jugum missas esse; quem errorem scriptores, eum sequuti, Eusebius, Eutropius, Orosius et Rufus in Breviario, male repetiverunt. Nam Xiphilinus prorsus de hoc tacet, et Tacitus *rumorem* modo fuisse scribit. Ac nescimus an Paetus non tantam sibi et populo Romano ignominiam inusserit, praesertim quum Corbulo cum exercitu adpropinquaret, quantam isti scriptores tradiderunt; nec credibile est, Neronem ita patienter istam cladem tulisse.

Legio-

Legionibus igitur victis, vestibus et armis amissis, rumoreque dissipato, milites sub jugum esse missos, magnus Romae omnes pavor occupavit. Atque quum Nero, etsi principio bellum denuo parare studens, tamen, tamquam timore ductus, constitutis pacis conditionibus lubenter staret, et tum cithara publice canere pergeret, tum adeo in theatri orchestram descenderet; ibique, teste Xiphil. LXII., 29., coram universo populo poëmata quaedam de incendio Troico, a se ipso composita, publice recitaret: versus isti salis pleni, quos supra attulimus, vel publicis locis scripti et fixi, vel sermonibus hominum vulgati sunt; quorum auctor, quisquis fuit, perfecte significat, utrumque, et Neronem et Parthum, i. e. Vologaesum, si in ratione inita pergerent, Apollini simillimos fore: illum quidem miti mollique cantu atque carminibus pollentem (Paean); hunc arcu et sagittis formidabilem, aliosque ferientem (ἑκατηβελέτης.)

Dum tendit citharam noster — Haec quo luculentius perspiciantur, nobis repetenda est veteris memoriae de Nerone citharoedo recordatio. Scribit enim Xiphilinus L. LXI., c. 20, „Παρῆλθέ τε καὶ αὐτὸς ὁ Νέρων ἐς τὸ θέατρον ὀνόματι πρὸς τοῦ Γαλλίωνος ἐσκηυχ-

ἐσκηρυχθείς· καὶ ἔστη τε ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὁ Καῖσαρ τὴν κιθαρῳδικὴν σκευὴν ἐνδεδυκώς. καὶ, Κύριοί μου, εὐμενῶς μου ἀκούσατε, εἶπεν ὁ αὐτοκράτωρ. ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος, πολλῶν μὲν στρατιωτῶν παρηστηκότων, παντὸς δὲ τοῦ δήμου) ὅσον αἱ ἕδραι ἐχώρησαν, καθημένου· καίτοι καὶ βραχύ καὶ μέλαν (ὥς γε παραδέδοται) φώνημα ἔχων, ὥστε καὶ γέλωτα ἅμα καὶ δάκρυα πᾶσι κινῆσαι. καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Βοῦῤῥος καὶ ὁ Σενέκας, καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι, ὑποβάλλοντές τε, παρειστήκεσαν· καὶ αὐτοὶ τάς τε χεῖρας καὶ τὰ ἱμάτια, ὁπότε φθέγξαιτό τι, ἀνέσειον, καὶ τοὺς ἄλλους προσεπισπῶντο. ἦν μὲν γάρ τι καὶ ἴδιον αὐτῷ σύστημα ἐς πεντακισχιλίους στρατιώτας παρεσκευασμένον· Αὐγούστειοί τε ὠνομάζοντο καὶ ἐξῆρχον τῶν ἐπαίνων· ἠναγκάζοντο δὲ σφίσι καὶ οἱ ἄλλοι πάντες καὶ ἄκοντες, πλὴν τοῦ Θρασέα, ἐκβοᾷν. — — — μάλισθ' οἱ ἐπιφανεῖς, σπουδῇ καὶ ὀδυρόμενοι συνελέγοντο, καὶ πάνθ' ὅσα περ οἱ Αὐγούστειοι, ὡς καὶ χαίροντες, συνεβόων. καὶ ἦν ἀκούειν πως αὐτῶν λεγόντων, ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύθιος. μά σε Καῖσαρ, οὐδείς σε νικᾷ." Cfr. Sueton. Ner. c. 20. Ac notum est, quod Nero moriens exclamavit: „Proh Jupiter, quantus pereo artifex!" *)

Dum

*) Ὦ Ζεῦ, οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι. Xiphil. LXIII., 29.

Dum cornua Parthus — i. e. dum Vologaesus arcus adducit, sagittasque jacit.

Praeterea plerique Mss. et Edd. illud ἐκατηβελέτης Latinis exprimunt literis; et pro *Parthus* in Vind. pr. perperam reperitur *Phoebus.*

XXV.

IN NERONEM.

Roma domus fiet: Vejos migrate, Quirites,
Si non et Vejos occupat ista domus. *)

Aureae domus, de qua sic scribit Plinius XXXIII., 3. „Et quota pars ea apparatus fuit *aureae domus* ambientis Vrbem.“ Et Mart. de Spectac. II., 4.

„*Unaque* jam tota stabat in Vrbe *domus*.“ originem, amplitudinem et cultum planissime describit Sueton. Ner. c. 31., ut nihil praeterea addere opus sit. Verba haec sunt: „Non in alia re damnosior, quam in aedificando. Domum a Palatio Esquilias usque fecit.

Quam

*) V. Sueton. Ner. c. 39.

Quam primo *Transitoriam*, mox, incendio abſumptam, reſtitutamque, *Auream* nominavit. De cujus ſpatio atque cultu ſuffecerit haec retuliſſe. Veſtibulum eius fuit, in quo coloſſus centum viginti pedum ſtaret ipſius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item ſtagnum maris inſtar, circumſeptum aedificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper arvis atque vinetis et paſcuis ſilvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, unionumque conchis erant. Coenationes laqueatae tabulis eburneis verſatilibus, ut flores, fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur. Praecipua coenationum rotunda, quae perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineae marinis et Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum quum abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut, *ſe*, diceret, *quaſi hominem tandem habitare coepiſſe.*"

Hanc itaque auream domum quum Caeſar tam ſplendide et ample aedificaret, ut multi animo timerent, ne totam urbem occuparet: auctor horum verſuum cives hortatur, ut, ſi Nero totum urbis ſpatium devo-

devorare pergeret, unamque domum faceret, Vejos migrent, (ſicuti populus olim, urbe Roma a Gallis, Brenno duce, A. V. C. 365. vaſtata, facere voluit, et profecto feciſſet, ni Camillus obſtitiſſet), ni forte etiam haec urbs ab iſta domo occupetur.

XXVI.

XXVI.

IN OTHONEM.

Cur Otho mentito ſit, quaeritis, exul honore?
Uxoris moechus coeperat eſſe ſuae. *)

Cauſam hi verſus enuntiant, cur Otho ficto legati honore in Luſitaniam a Nerone exul remotus ſit. Ipſa vero, quae tangitur, res haec eſt. Otho, Neroni Caeſari amiciſſimus, omniumque eius conſiliorum ſecretorumque particeps, Poppaeam Sabinam, Neronis amicam, ab eoque abductam, marito Rufo Criſpino, quam Tacitus Ann. XIII., 45. *principale ſcortum* appellat, nuptiarum ſpecie, quum ſibi interim demandata eſſet, receperat. Nec corrupiſſe eam contentus, tanto illam amore deperiit, ut Neroni rivali vehementiſſime iraſceretur, nec modo eos, qui ad arceſſendam Sabinam miſſi erant, non reciperet, ſed ipſum etiam Caeſarem excluderet pro foribus quondam adſtantem, miſcentemque fruſtra minas et preces, ac depoſitum repoſcentem. Quod quum Nero nec patienter ferre poſſet, nec alia re,

*) V. Sueton. Oth. c. 3.

re; nisi vi, feminam se accepturum persuasum haberet: Othonem specie legationis in Lusitaniam relegavit. Quam provinciam quaestorius singulari quidem moderatione administravit, sed simulatque occasio ultionis offerebatur, conatibus Galbae primus accessit. Quamvis vero eum Nero exilio tantum adficeret, timens, ne poena acriore indecoram hanc rixam divulgaret: omnis tamen iste mimus paulo post distichо, supra appositо, in vulgus exiit. (Cfr. Sueton. Oth. l. I. Tacit. Ann. XIII., 45. 46. Histor. I., 13. Xiphil. LXI., 11.

De reliquo nihil est notandum, nisi quod pro *mentito* prave invenitur in Vindob. pr., Periz. Edd. Rom. *mentitus*, et in Medic. pr., Vossian. *merito*.

XXVII.
IN DOMITIANUM.

Κἂν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί Καίσαρι θυομένῳ. *)

Hac parodia, ex Eveno, vetere poëta, paucis immutatis, compoſita, quam ſic vertimus: *Si me vel ad radicem comederis, tantum tamen adhuc fructus fundam, quantum immolando Cæſari infundatur*, Domitianus, quem inopia rapacem ac dirum, metuſque tum ſaevum et crudelem, tum anxium et facilem reddiderat, neci deſtinabatur. Ac feſtive auctor ad libationem alludit, quae infundendo vino in caput immolandae victimae efficiebatur. Quas enim minas apud Evenum l. l. vitis in caprum ſe depaſcentem hoc modo jactavit:

„Κἂν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τραγῳ θυομένῳ.“

easdem

*) V. Sueton. Domitian. c. 14. et cfr. Even. Annal. Brunck. I., p. 165. Schol. in Ariſtophanis Plut. v. 1130.

easdem his versiculis nunc jactat in Domitianum propter edictum, quo vineas excidendas constituerat. Atque ut primum horum versuum minatio ei nuntiata erat, tanta anxietate, quam semper in ejusmodi rebus ostendit, commotus est, ut edictum istud non persequeretur (v. Sueton. Domit. l. l.).

Ceterum ed. R. Steph. v. 1. pro genuinis verbis Κὴν μὲ φάγῃς male habet Κὴν μὲ τάμῃς; et v. 2. pro ἐχιοπεῖσαι corruptum illud ἄλις ὀπεῖσαι, quae lectiones aliorum codicum Mstorum auctoritate fulciuntur nulla.

XXVIII.

IN DOMITIANUM.

Nuper Tarpejo quae sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit, erit. *)

Prodiit hoc distichon ex dicterio cornicis cujusdam, quae, testante Sueton. Domit. c. 23., paucis ante

*) V. Sueton. Domit. c. 23.

ante quam Domitianus occideretur mensibus, in Capitolio elocuta erat: „Ἔστιν πάντα καλῶς.“ Quod, tamquam ostentum, quidam de imminente et optato heroi Imperatoris exitio intelligentes, versibus, quos supra laudavimus, interpretati sunt. Nam quum Domitiani imperium ingenti crudelitate insigne, ac plenum esset horroris, pollutumque multo sanguine humano, quod Sueton. Domit. c. 10—14. Xiphil. LXVII., 1—3. satis enucleate declarant: cornix illa dicere non potuit „*est bene*,“ sed „*erit bene*;“ nimirum interfecto Caesare.



R LIBRARY
IQK 3